Vseneri Commentatio Cvm Tabvla Chalcographa, 1875

# INCLVTAE LITTERARVM VNIVERSITATI

# LVGDVNO-BATAVAE

## SACRA SAECVLARIA TERTIA

DIE VIII MENSIS FEBRVARII A. CIƆIƆCCCLXXV

CELEBRANTI

CONGRATVLANTVR

VNIVERSITATIS FRIDERICIAE GVILELMIAE RHENANAE
BONNENSIS

RECTOR ET SENATVS

INEST HERMANNI VSENERI COMMENTATIO CVM TABVLA CHALCOGRAPHA

BONNAE

FORMIS CAROLI GEORGI

CIƆIƆCCCLXXV

1876, June 7.
Gift of the
Rhein. Friedrich-Wilhelms Universität,
Bonn, Germany.

# DE ILIADIS CARMINE QVODAM PHOCAICO

SCRIPSIT

HERMANNVS VSENER
PHIL · D · P · P · O PHILOSOPHORVM ORDINIS HOC ANNO DECANVS

Cum artes litterarumque studia non singularum terrarum nationumque finibus cohibeantur sed per totum orbem uaga sedem figant, ubi cumque sunt qui uera quaerant, nemo profecto non mirabitur, quod postquam Fridericus Augustus Wolfius de carminibus Homericis quaestionem mouit grauissimam neque solum antiquitatis graecae studiis necessariam, intra Germaniae fines uiri docti permulti auctoribus post Wolfium potissimum Carolo Lachmanno et Adolpho Kirchhoffio Berolinensibus in inuestiganda carminum illorum origine certatim sese exercitarunt exercentque, apud exteros id studium languet, immo iacet. Ipsum adeo Davidem Ruhnkenium, uirum immortalem, uitae usu, disciplina, meritis uestrum, patria nostrum, quem inter grammaticos unum Wolfius dignum existimauerat qui de prolegomenis iudicaret, constat ingenue professum esse, se dum legeret, assentiri, cum posuisset librum, omnem illam assensionem animo elabi. Neque secus inde ab illo tempore cum apud uos tum apud Anglos Gallos Italos doctissimi quique aut omnes aut plerique sentire uidentur. atque in ipsa uestra uniuersitate uiri excellentissimi Cobetus et Pluygersius dum studium saluberrimum Homero adhibent, in hoc quaestionum genus noluerunt exspatiari. Cuius rei caussam ubinam censebimus positam esse nisi in ipsius argumenti natura? quod difficultatibus tot tantisque laborat et obscuritate premitur tanta, ut temerariis coniectoribus uanisque ariolis tamquam uilem praedam relinquere merito videantur, qui in his litteris pedem nisi certum non proferre didicerint. Quod si quis uestrum uastam hanc copiam librorum et disputationum homericarum, quales in Germania quotannis emitti solent, ausus sit perlustrare, ego quidem non grauabor, si summo correptus taedio ista germanicae subtilitatis specimina longe abiecturus minusque iam de sancti illius corporis

a tot medicis frustra uexati quam de medicorum ipsorum salute desperaturus sit: adeo sibi quisque soli sapere uidebitur, tam nihil patebit aut exploratum aut saltem ad probabilitatem adductum, tam nihil dispicietur certi, unde quotquot aliquid proficere uelint, communi consensu proficiscantur.

Fuerunt qui cum philosophos uiderent de eadem re alium aliter censere, philosophiam ipsam tollerent: in homericis quaestionibus uereor ne quid simile accidat. Verum tamen esse in eis aliquid exploratum idque pro rei difficultate satis magnum si probare uellem, ea ipsa quae certa mihi uidentur, instaurata quaestione intellego mihi demonstranda fore. Ego uero neque rem actam iterum agam, neque si acturus essem, hic locus aut sufficeret aut idoneus esset.

Itaque dum universitati uestrae cum omnium antiquitatis studiorum tum graecarum litterarum sedi uetustissimae simul et florentissimae quartum saeculum faustis ominibus auspicanti pio laetoque animo congratulor, quasi nostrarum uindemiarum aliquod pocillum propinaturus, etsi nil ego promere de cella mea possum, quod uere dignum sit hoc felicissimo die summaque hac sollemnitate, attamen uatem antiquissimum, epicae poesis auctorem, si fas sit liceatque ex tenebris excitare, non indignum arbitror, qui uestro grauissimorum uirorum coetui festum faustumque diem agenti intersit optima quaeque auguraturus. an quod Ennius sese perhibuit, Homerum negabimus *mortalibus uersus propinare flammeos medullitus*? Placuit igitur in uno saltem loco periclitari, liceatne ad pristinum canorem uocem poetae obscuratam et paene intermortuam expergefacere. Quodsi contigerit ut uiris summis qui in celeberrima uestra uniuersitate has litteras profitentur, sententiam meam probem, praemium tulisse mihi uidebor amplissimum. etenim iudices integerrimos, qui tenui huic commentatiunculae inesse aliquid ueri concesserint, eosdem speres etiam magis illis aures beneuolas esse adhibituros. qui Homero intellegendo operam impenderunt non subseciuam ut ego, sed continuam et indefessam.

Disputaturus sum de Iliadis libro undecimo. et posteriorem quidem partem, quae legitur fere inde a u. 597, non curo. quam ab interpolatore conflatam

Carolus Ludouicus Kayser uir sagacissimus et de Homero meritissimus olim docuit[1]. Ne in priore quidem parte interpolationis temerariae desunt uestigia, a Lachmanno aliisque detecta[2]. sed relinquitur tamen carmen, nisi fallor, paene integrum et plane egregium, quod legere non possis quin artem poetae et os rotundum ac magna sonans admireris. Cuius ut summam breui comprehendam, atrox ibi unius diei pugna describitur, in qua tam gloriosa Agamemno fortitudinis specimina edit, ut nomen *'Αγαμέμνονος ἀριστεία* carmini impositum sit. quo duce futurum erat ut intra ipsa moenia Troiani cogerentur, nisi Iuppiter aliter decreuisset. itaque Agamemnone uulnerato et in castra reuecto Achaei iam aduerso marte pugnant Hectorique Iouis nuntio fidenti ferociterque pugnanti resistere uix ualent. in hoc periculo salutem sodalibus Diomedes et Vlixes ferre uidentur, par nobilissimum pugnatorum. atque efficit sane Diomedes, ut teli ictu torpidus Hector recedat. sed mox ipse Alexandri sagitta laesus castra repetit: Vlixes a Troianis cinctus undique premitur, donec saucius auxilium magna uoce implorat. audita uoce Menelaus et Aiax succurrunt. sed dum Menelaus id agit ut Vlixem ex turba deducat, Aiax solus impetum Troianorum sustinet et quamuis fortiter pugnet, sensim pedetemptimque, ut recedat, cogitur. Reliqua qua ratione poeta exsecutus sit, incertum erit: facilius hoc est intellectu, promissa Iouis (u. 191 sqq.) impleta h. e. Graecos ad solis occasum intra naues compulsos finem carmini fuisse.

Viuidissimis id carmen coloribus distinguitur, ut florentissima poesis epicae

---

1) in dissertatione de interpolatore homerico Heidelbergae a. h. saec. XLII edita p. 8. 10 cl. 14 sq. 18 sqq. 27. Ceterum manifestum est in u. 670—761 interpolatorem carmine quodam usum esse, in quo Pyliorum et Epeorum bella narrabantur: quod quoniam u. 698 sqq. quadrigarum certamina nouit ol. XXV demum, ut Iulius Africanus p. 9 Rutgersii et Pausanias V 8, 7 testes sunt, Olympiae admissa, non potuisse nisi post eam aetatem nasci A. Mommsenus Philologi t. VIII p. 721 sqq. acutissime obseruauit. sed idem quod ob eam maxime causam in Nestoris narratione diuersorum carminum uestigia deprendere sibi uisus est, antiquioris u. 711 sqq., recentioris u. 670 sqq., assentiri ei nequeo. nam ut quadrigae memoriam, sic Elidis quoque et Eleorum nomen recentius rhapsodum par est uetustiori narrationi epicae intulisse, quippe qui eclogam illam cum Nestoris orationi dilatandae insereret, pro suae aetatis condicione mutaret.

2) cf. praeter Lachmannum (*betrachtungen über Homers Ilias* p. 37 sqq.) Wold. Ribbeckius in Fleckeiseni annali 1862 p. 82 sqq.

aetate natum facile persentias. neque accuratius intuentem exquisitioris cuiusdam et delicatioris cultus uestigia latebunt, qualia mixtos commercio cum Graecis Phoenices produnt. legas uelim eam partem, qua Agamemnonis apparatus bellicus describitur (u. 17—42): uidebis artificia fabrilia non mehercle uulgaria, similia perfectissimis artis Phoeniciae speciminibus, qualia ex opulentioribus Etruscorum ueterum sepulcris prodierunt. Quid quod lorica pretiosissima a Cinyra dono missa Agamemnoni u. 20 sq. dicitur. atqui Cyprum insulam, cuius Cinyras rex antiquissimus fertur et Cinyradarum, nobilissimae inter Paphios familiae[1] conditor, sedem Phoenicum constat iam antiquissimo tempore fuisse. Suspiceris igitur ex urbe Asiae hunc poetam oriundum fuisse uel in ea uitam degisse, quae prae ceteris commercio cum Phoenicibus factitando opes sibi ac diuitias quaereret.

Sed nolui coram uobis, uiri eruditissimi, coniecturis indulgere. itaque de his, in quae digitum intendisse satis habeo, utcumque libuerit, uestrum esto iudicium, modo me ad certiora uos ducentem dignemini sequi. talia uero aut egregie fallor aut in eo loco parata sunt, qui est de Vlixe ab Aiace et Menelao seruato.

Vlixes postquam uulnus a Soco Hippasi filio sibi inflictum intellexit letiferum non esse, fortiter aduersarium aggressus hasta trans pectus acta interficit. tum demum sui memor hastam hostilem ex cute sua et clupeo extrahit. quo facto cum nimium sanguinis profundatur, et ipse pauet amicosque in auxilium uocat et hostes audaciores maiore saucium impetu urgent:

*αἷμα δέ οἱ σπασθέντος ἀνέσσυτο, κῆδε δὲ θυμόν·*
*Τρῶες δὲ μεγάθυμοι ὅπως ἴδον αἷμ' Ὀδυσῆος,*
*κεκλόμενοι καθ' ὅμιλον ἐπ' αὐτῷ πάντες ἔβησαν.*
*αὖταρ ὅ γ' ἐξοπίσω ἀνεχάζετο, αὖε δ' ἑταίρους.*

Exaudit heroem Menelaus adsumptoque Aiace dum accurrit, haec circa Vlixem geruntur:

*ἀμφὶ δ' ἄρ' αὐτὸν*
*Τρῶες ἕπονθ' ὡς εἴ τε δαφοινοὶ θῶες ὄρεσφιν*

1) cf. Waddington in titulorum a Lebasio collectorum explicatione VII n. 2798 p. 644.

ἀμφ' ἔλαφον κεραὸν βεβλημένον, ὅν τ' ἔβαλ' ἀνὴρ
ἰῷ ἀπὸ νευρῆς· τὸν μέν τ' ἤλυξε πόδεσσιν
φεύγων, ὄφρ' αἷμα λιαρὸν καὶ γούνατ' ὀρώρῃ·
αὐτὰρ ἐπεὶ δὴ τόν γε δαμάσσεται ὠκὺς ὀϊστός,
ὠμοφάγοι μιν θῶες ἐν οὔρεσι δαρδάπτουσιν
ἐν νέμεϊ σκιερῷ· ἐπί τε λῖν ἤγαγε δαίμων
σίντην· θῶες μέν τε διέτρεσαν, αὐτὰρ ὁ δάπτει.
ὥς ῥα τότ' ἀμφ' Ὀδυσῆα δαΐφρονα ποικιλομήτην
Τρῶες ἕπον πολλοί τε καὶ ἄλκιμοι, αὐτὰρ ὅ γ' ἥρως
ἀΐσσων ᾧ ἔγχει ἀμύνετο νηλεὲς ἦμαρ.

Comparatur Vlixes cum ceruo, qui sagitta ictus celeri cursu profugiat, donec uiribus consumptis in silua concidat et lupi ceruarii (sic enim θῶας Plinius latine dicit) gregatim ut eum depascant accurrant. sed eis diuinitus submittitur leo praedator. quo conspecto minores bestiae subito alia alio diffugiunt: αὐτὰρ ὁ δάπτει. Similitudinis igitur quasi summus gradus, qui uerbis neque grauius potuit neque parcius significari, hic est: leo ceruum correptum dentibus lanians.

## I

Haec imago etiam artis monumentis antiquis non semel expressa est. Libanius rhetor signum, quod Antiochiae in Syria eum uidisse conicias, pauca ad laudandas corporis uires praefatus his uerbis quasi ante oculos nostros ponit t. IV p. 1081 Reiskii: μιμεῖσθαι δὲ τέχνῃ πειρᾶται καὶ διελθεῖν πεπλασμένα ὁ λόγος. ἐν περιφανεῖ τοίνυν χώρῳ τοῦ ἄστεος λέων ἐξείκασται συμπεπλεγμένος ἐν ὄρει πρὸς ἔλαφον. ἅπας τε γὰρ ἔχεται πάσης καὶ[1] κατὰ μέρος διείληφεν, ὡς ἑλεῖν περιῇν· οἵ τε ὀδόντες τῇ δειρῇ περιπείρονται καὶ ἡ[2] κόμη τῆς κεφαλῆς ἐπανίσταται καὶ πρὸς ὅλην ἁλοῦσαν διαιρεῖται τὴν ἔλαφον, στόματι δάπτων[3] καὶ συνέχων τοῖς ὄνυξι καὶ πιέζων τῷ λοιπῷ σώματι· οὐρὰν δὲ συμπεριείλικται, τῆς μὲν παρ' αὐτῆς πληγῆς οὐκέτι δεόμενος, ἀντ' ἄλλου δὲ αὐτὴν ἐπιφέρων δεσμοῦ. ἡ δ' αὖ ἔλαφος τὸ μὲν κέρας ἀνῆκεν ὥσπερ αἰτιωμένη τὴν φύσιν, εἰ μηδὲν αὐτῇ πρὸς μάχην ἐξήρκησε· τὸ δέ οἱ πρόσωπον ἐγκάρσιόν τέ ἐστι καὶ πρὸς θάτερον νένευκε, καὶ τοῦ

1) καὶ] ἣν cod. bauaricus, τῷ edidit Reiskius. τὸ κατὰ μ. διειληφέναι ci. Morellus. 2) ἡ ante κόμη addidi. 3) στόματα δαπανῶν libri.

*στόματος ὑπανέφυγεν ὀδόντας μὲν ὑποφαίνουσα, περιαλγοῦσα δὲ τῷ παθήματι· οἱ δὲ δὴ πόδες ἑστᾶσι[1] μὲν οἱ πρῶτοι[2] πρὸς τὴν γῆν καὶ τὸ βάθρον ἐρείδουσιν, οἱ λοιποὶ δὲ πρὸς γόνυ συγκάμπτονται καὶ κατὰ γῆς συνεάγησαν[3]. καὶ σχηματίζεται μὲν πρὸς ἅπαν τοσοῦτον ὅσον ὁ λέων ἐμπεσὼν ἐβιάσατο κτλ.*

1) *ἱστᾶσι* editur. 2) defenditur cl. Polluce I 193. 3) *συνελέγησαν* libri.

Ipsa uero artis monumenta, quae diem tulerunt, perlustrantibus permagna occurrit similium imaginum uarietas. Sic praeter ceruum maxime bouem (a quo etiam in hoc ipso Iliadis carmine similitudo repetitur u. 172—8)[1] neque raro aprum a leone corripi uidemus; succedunt etiam caper uel ibex, dorcas uel antilope, equus, asinus. Atque tria illa animalia etiam in fabula aesopica cum leone coniunguntur. ubi ceruus semper opprimitur, siue in siluam fugatus cornibus, uana gloria, impeditur siue insciens in cauernam bestiae incurrit siue denique a uulpecula pellectus regi animalium aegrotanti famem leuat[2]. contra cum tauro et apro pugnandum sibi leo uidet uiribusque diffisus cum apro foedus paciscitur[3]; taurum ut uincat, uariis utitur dolis[4].

---

1) Paruum quiddam sed dignum obseruatione est quod bouem monumenta assyria plerumque (etsi non semper, cf. A. H. Layard, *discoveries in the ruins of Nineveh and Babylon* Lond. 1853 p. 605, uersionis uernaculae tab. XVIII, *C, K*) unicornem praestant, quem indicum Plinius dicit nat. hist. VIII 76 cf. 72. atque haec forma non solum in imaginibus eis conspicitur, quas fabulosas dicas, ubi leones uel gryphes bouem uenantur (uid. Layard, *the monuments of Nineveh* uol. I tab. 9. 45. 46, 1. II t. 57 *A.* 60 cf. I 12. 32. 48, 6. 49, 4), sed etiam in uitae quotidianae simulacris: uenantur eum (ap. Layard. I tab. 11), eodemque domestico utuntur (cf. Layard II t. 26. 29 Victor Place, *Ninive et l'Assyrie* uol. III t. 63) et iumento (Layard I t. 58. II 35 Place t. 60, 3). id quod, etsi capri ibidem bicornes finguntur, nemo tamen sanus aliunde repetet quam ex rudioribus artis primordiis. sed certissimum hinc, quam in eis rebus Graeci ab artis orientalis exemplis pendeant, indicium capias, quandoquidem bos a leone captus cum in nummis acanthiis (cf. *Das königl. münzcabinet, geschichte u. übersicht* etc. *von J. Friedländer und A. v. Sallet*, Berol. 1873 tab. IV n. 190, tabulae nostrae n. 9 al.), tum in uase celeberrimo Clitiae et Ergotimi (infra p. 10, 2) exhibetur unicornis. de nummis aliis infra mentio fiet.

2) Fab. aesop. in Halmii collectione n. 128 et Babrius f. 43; porro f. aes. 129. tertia fabula narratur a Babrio fab. 95, in aesop. 243, in vita Theoderici Gothorum regis ex cod. Vaticani regin. lat. n. 692 edita ap. Cochlaeum Vit. Theoder. p. 179 sq. ed. Peringskiöld, denique in scriptoribus a Iacobo Grimmio memoratis Reinharti p. XLVIII sqq. cf. Rochholz in Hoepfneri et Zacheri *zeitschr. für deutsche philologie* I p. 181 sqq.

3) Fab. aesop. 253 Halmii. Anceps eorum est pugna etiam ap. Claudianum epigr. III (c. LIII Gesn.).

4) Sic ad sacra taurum uocat apud Babrium f. 97, f. aesop. 262; suadet ei, cornua ut capite

In leonis autem locum succedunt leaena[1], gryps, panthera; denique aut cum leone leo uel leaena uel gryps aut duo gryphes consociantur. sed gryphes proxime a leone absunt, quos uere leones dicas alis additis et aquilae capite imposito fabulose auctos[2].

His praemissis quae mihi quidem innotuerunt artis monumenta breuiter recensebo. in qua re uideo mihi a lectoribus humanissimis ueniam expetendam esse non unam ob caussam. ut enim taceam quod res similes aceruatim congestae omnes gignunt taedium, et copia exemplorum tanta est ut uni omnis nequeat innotescere neque uero mereat, et me, quantulam uel de paratis et patentibus partem contigerit delibare, minime fugit. sed nisi generum saltem uarietatem omnem in uno conspectu posueris, de singulis generibus recte iudicare non possis, nec nisi tempora et loca distinguas, intellegere queas id quod grauissimum est, quam late et qua uia per totam antiquitatem eiusdem imaginis uestigia sparsa sint. uiri autem licet doctissimi qui hanc rem attigerunt[3], hodie satis facere uix possunt.

---

demat fab. aesop. 263. denique tauri ferocitatem uincere non ualens delphinem piscium regem in auxilium uocat fab. aes. 251. quam delphini leonisque societatem satis miram antiquiore fabula inniti eo suspiceris, quod ne in monumentis quidem praetermissa est. sic in numo acanthio, quem edidit Mionnetus *recueil des planches* t. XLV n. 5, infra leonem tauro incubantem delphinus conspicitur, et in tessera plumbea atheniensi supra leonis caput idem piscis est (cf. Postolacca, *annali dell' instit.* 1868 uol. XL p. 285 n. 358); item in forma quadam a Felice Lajardo edita (*Recherches sur le culte* etc. *de Vénus* Par. 1837 tab. XIX, 5) duo haec animalia conponuntur; denique in cella sepulcrali tarquiniensi quae *grotta dell barone* uocatur, leonem delphinumque in utroque fastigii angulo pictos uideas: cf. Ios. Micali, *storia degli antichi popoli italiani* tab. LXVII, 3 Stackelbergius et Kestnerus in sepulcrorum etruscorum lineamentis, opere imperfecto nec publicato tab. XXIX (in mus. etr. gregor. uol. I tab. C haec res neglecta est).

1) nam illud animal, quod interpretes uulgo aut pantheram aut aliis nominibus dicunt, semel moneo ipsos artifices plerumque uoluisse leaenam haberi. id quod dubium esse non poterit ea monumenta comparanti, in quibus aperte marem et feminam artifex consociauit. inter assyria conferas anaglypha a Victore Place delineata tab. 52 bis et 55, ut de eo quod Layardus edidit uol. I tab. 9 rectius iudices. ex graecis testimonium profero certissimum uasis argentei in Chersonneso taurica inuenti (*antiquités du Bosphore cimmérien* tab. XXXIV, 1. 2 cf. ibid. 3. 4).

2) diuersam figuram habes in anaglyphis aediculae sacrae assyriae a Layardo *the monum.* uol. II tab. 5 expressis: bestiae fabulosae caput affingitur pedesque leonis, ceruix et corpus plumata non secus quam alae auem produnt.

3) Raoul-Rochette, *mémoires d'archéologie comparée* I. *sur l'Hercule assyrien et phénicien.*

Ordior igitur, ut par est, a reliquiis assyriis. In obelisci nunc in museo britannico adseruati parte antica, a Layardo *the monum.* uol. I tab. 53 edita[1] siluam montanam uideas repraesentatam, ubi ceruum citato cursu fugientem sequitur leo iam iam praedam tenens dentesque infligens; praecedit illos alter leo lentiore gressu. Bouem non minus trepide fugientem in anaglypho egregio persepolitano[2] leo prehendit unguibus simul et dentibus dorso incussis. Saepius similia redeunt inter ornamenta uestium haud scio an acu pictarum[3], quales illic dei regesque gerunt. sic apud Layardum l. s. I tab. 46, 1 bos unicornis ad dextram properans a leone capitur, alter bos sequitur, qui capite prono ad pugnam paratus leonem deicere conatur. ibid. t. 48, 2 leo taurum opprimit aduersum adortus, tab. 45, 2 properantem insecutus. porro duo gryphes ib. t. 46, 2 dorcadem fugacem adoriuntur, t. 43, 7 caprum siue dorcadem opprimunt. Haec omnia etiam liberiore arbitrio artifices credas uasis aeneis et fictilibus adhibuisse. ex quo genere patina aenea in promptu est, in clupei modum formata[4], cuius orbem extremum tres circuli belluati ambeunt: in medio circulo praeter alia animalia gradientia leopardi duo duoque leones exhibentur binos boues aggressi sic ut utrubique altera bestia aduersum, auersum altera bouem corripiant.

Hinc frequens imitatio a Phoenicibus ad Graecos ueteres Etruscosque propagata est. et ut in anaglyphis illis uestes pretiosas bestiarum symplegmatis distinctas uidimus, sic peristromata et tapetia, quae olim commercio Phoenicum ex Babylonia, post Alexandria delata Graeci Italique pari studio comparabant, eodem ornamenti genere praestabant, ut belluata latine

---

Par. 1848 (siue *mém. de l'académie des inscriptions* uol. XVII, 2) p. 107 sqq. et Felix Lajard, *recherches sur le culte, les symboles, les attributs et les monuments figurés de Vénus* (Par. 1837) p. 119 sqq. (uel *nouvelles annales de l'institut archéol.* II p. 397 sqq.).

1) cf. G. Rawlinson, *the five great monarchies of the ancient eastern world* (Lond. 1871) uol. I p. 266.

2) edidit R. Ker Porter, *travels in Georgia* cett. uol. I tab. 35, F. Lajard, *culte de Vénus* tab. VII, 1.

3) cf. Martialis XIV 150 'uicta est pectine niliaco iam b a b y l o n i s a c u s'.

4) Layard l. s. uol. II t. 60 cf. idem, *discoveries* p. 183 sq. n. 2.

audirent[1]. atque talia ex Apollinis delphici thesauris promi ab Ione Euripides scripsit

*τοίχοισιν δ' ἔπι*
*ἤμπισχεν ἄλλα βαρβάρων ὑφάσματα*[2]·
*εὐηρέτμους ναῦς ἀντίας ἑλληνίσιν*
*καὶ μιξόθηρας φῶτας ἱππείους τ' ἄγρας*
*ἐλάφων λεόντων τ' ἀγρίων θηράματα.*

Vasorum pictores antiquissimos constat texta illa artificiosa studiose imitatos esse. non mirum igitur, quod tot uasa cum in Graecia insulisque tum in Etruria inueniuntur animalium figuris magis minusue rudibus oblita[3]. plerumque sane ea animalia sic proponuntur, ut nil agere uideantur. fit tamen ut animo infesto congrediantur. sic ut exemplis paucissimis acquiescam, in amphora tarquiniensi[4] tres illos quos nosti, ceruum bouem aprum laniari a bestiis uidemus: ceruus genubus flexis procubuit a gryphe insecuto occupatus, bouem duo leones, aprum leo et leaena depascunt. in uasculo uolcenti[5] aper capite demisso ante leonem stat ipsius ceruici iam inhiantem. alibi gryphes dammam lacerant[6]. Haud scio an paullo recentius sit uasculum funebre ad Rhodanum repertum, in quo depinguntur leo ceruum, leaena aprum, denique leo bouem diripientes[7]. Ne eo quidem tempore, cum uaso-

---

1) cf. Aristoph. ran. 937 *οὐχ ἱππαλεκτρυόνας γε μὰ Δί', οὐ τραγελάφους, ἅπερ σύ,*
*ἃ 'ν τοῖσι περιπετάσμασιν τοῖς μηδικοῖς γράφουσι,*
Plautus Pseud. 146 ut ne peristromae quidem aeque pictae sint campanicae
neque alexandrina belluata tonsilia tapetia,
idemque Stichi 378, ubi *babylonica* uocat peristromata.

2) *βαρβάρων* nomine non argumentum textorum sed originem indicari rectissime C. Badhamus obseruauit ad Ionem praef. p. IX sq.

3) cf. O. Iahn, *beschreibung der vasensammlung könig Ludwigs* p. CXLIV sq. Locis uasorum talium feracibus a Iahnio enumeratis adde Rhodum insulam, unde ab A. Salzmanno (*necropole de Camiros*, Par. 1875) oenochoa prolata est animalium figuris distincta, reliquo ornatu artem textoriam manifesto imitata.

4) I. Micali, *storia degli antichi popoli italiani* tab. XCVIII n. 1.

5) *monum. dell' instit.* I tab. XXVI, 15.

6) Tischbein, *recueil de gravures d'après des vases antiques* uol. IV tab. 20.

7) edidit F. Lajard, *monum. dell' instit.* uol. III t. 38, 9 et *mémoires de l'académie des inscriptions* uol. XX, 2 tab. VI, 6.

rum pictores ad elegantiam artis et perfectionem aspirarent, prisca illa ornamenta plane fastidierunt, sed dum corpora uasorum deum heroumque fabulis opplent, animalium figuris aut singulos illic locos[1] aut eas partes quae decorari uolgo non solebant, ora colla ansas pedes reseruarunt. itaque in uase nobilissimo quod A. François ex tumulo clusino protraxit, Clitiae et Ergotimi opere non mirabimur, quod pes figuras has prodit: ab utraque parte ornamenti, quod Assyriorum sacrae arbori quam uocant persimile est, gryps sedet anteriore pede leuato, deinceps ad sinistram aprum, ad dextram bouem uno cornu praeditum bini leones laniant[2].

Caelatores aeris argenti auri aeque ex illis peristromatum uestiumque ornamentis argumenta arti suae repetierunt. ac de assyria arte supra iam dixi[3]. quam imitatione non dubia permulta referunt monumenta cum in Etruria tum alibi reperta. similium artificiorum memoriam nemo iam dubitat, quin Homerus quoque in scuto achilleo describendo sequatur. inter quinque orbes caelatos unus gregem boum ad pascua exeuntem exhibuisse dicitur, in quem leones duo inrumpunt taurumque ex primoribus captum dilaniant[4]: multo simplicius est, sed non multum abhorret artis assyriae specimen[5], uasis aenei orbis belluatus, in quo inter medios boues, ut conicias, pascentes leo accubat rugiens et impetum minitans. idem fere argumentum cum liberius tum rudius tractatur in patera aurea quae in Dacia reperta est[6]. Inter etrusca ut ea taceam, in quibus eaedem animalium figurae rudi caelo non inscite expressae identidem proponuntur (cuius generis exemplum longe grauissimum

---

1) sic in uasculo argumenti sepulcralis atheniensi (*mon. dell' inst.* III tab. LX) arietis et pantherae ad uetustiorem morem conponuntur socialiter; similiter in amphora uolcenti (ibid. III t. XLIV sq.), nisi quod saltem inhiare leonem ceruo apparet; cf. ibid. II t. XXXVIII. contra ap. Micalium *storia* cett. t. XCV, *C* taurum leaena aggreditur, leo accurrit.

2) *monum. dell' inst.* IV tab. LVI—VII *archaeolog. zeitung* 1850 uol. VII tab. 23—24.

3) plura uidesis apud Layardum, *discoveries* cett. p. 183 sqq.

4) Σ 573 sqq. Etiam praeclara similitudo Λ 172 sqq. iam, spero, intellegetur unde manauerit. Ceterum clupei etrusci belluati fragmentum edidit Conestabile, *monumenti di Perugia* tab. XIV.

5) Layard, *monuments* uol. II tab. 57, *A*.

6) edidit F. Matz uir cum summo omnium dolore nuper defunctus, *archaeol. zeitung* 1871 uol. XXIX tab. 52.

aureum illud pectorale[1] est, quod in sepulcro grandi caeretano repertum ordines tredecim exteriores, interiores quinque bestiarum praesertim fabulosarum exhibet), patera argentea caeretana praesto est antiquissima[2], in qua bouem uideas a leonibus duobus correptum. Simili ornatu uasa argentea prolata sunt ex Chersonneso taurica. quorum unum[3] tres scaenas coniungit figuris deauratis: caprum iacentem a duobus gryphibus inuasum, dammam concidentem, cuius parte posteriore prehensa leo dorsum mordet, dum ab altera parte leaena assilit, denique aprum a leone uictum. in altero uasculo[4] ceruum leonum par depascit. quorum loco tertium quoddam[5] gryphes introducit. quid quod illic coryti regii ornamentum aureum leo et gryps fuerunt ceruum simul dilaniantes[6], et armilla in reginae tumulo reperta similem imaginem, gryphes alterum ceruo insidentem et laniantem, alterum assilientem pluriens repraesentat. In lamina argentea etrusca dudum in museum britannicum delata[7] aprum uideas a duobus leonibus lacerari. Etiam tripodum cortinis caelatores etrusci id genus ornatus adhibuerunt[8]. Antiquissima autem est lamina aenea et Assyriorum arti ualde similis, cui leo et leaena incisi sunt, qui erectis corporibus stantes ceruum deuorant[9]. eodemque artificio patera aenea uiterbensis[10], multo ea quidem

---

1) mus. etrusc. gregor. uol. I tab. 82—84. Compares lances assyrias apud Layardum *monum.* I tab. 57, *E* 59, *C* eundemque *discoveries* p. 188 n. 7. 8.

2) mus. etrusc. I tab. 66.

3) *antiquités du Bosphore cimmérien* tab. XXXIV, 3. 4 cf. uol. I p. 229 sq.

4) ibid. t. XXXIV, 1. 2. leaena uteribus notata, qua de dixi p. 7, 1, iacens ceruicem cerui laniat, leo posteriorem partem inuadit.

5) edidit doctissimoque commentario tractauit L. Stephanius, *compte rendu de la commission impériale archéologique* 1864 tab. I (cf. III), p. 11 sqq.

6) *antiqu. du Bosph.* t. XXVI, 2 cf. uol. I p. 177. armilla ibid. t. XIII, 2 cf. uol. I p. 85.

7) Micali, *storia* tab. 45, 2 cf. uol. III p. 66. Lamina aenea ad Rhenum inuenta, nunc Parisiis asseruata liberiore animalium delectu plurimas id genus scaenas exhibet; edidit eam F. Lajard, *mém. de l'acad. des inscr.* XX, 2 tab. XVI et XVII.

8) bouem a leaena an panthera oppressum tripus uolcentinus exhibet (*mon. dell' inst.* II tab. XLII, *C*), idem symplegma simulque ouem a bestia laceratam alter (ibid. III t. XLIII).

9) E. Gerhard, *antike bildwerke* t. 78, 2 C. O. Mueller, *denkmäler der alten kunst* I t. XV, 58.

10) Micali, *storia* t. XLIX cf. uol. III p. 75.

recentior, circulo belluato circumdata est, in quo uaria animalia, ceruum asinum bouem equum aprum arietem, a duobus quamque bestiis, plerumque leone et leaena, bis a leone et gryphe oppressos habes.

Ne lapicidae quidem antiquiores ab hac imitatione alieni fuere. sic introitus cellae sepulcralis tarquiniensis, cui ab inscriptionibus nomen est[1], anaglyphis ornatur easdem figuras fabulosas referentibus, quas in pectorali aureo çaeretano discernas. propius a consilio nostro absunt Assi quae inuenta sunt templi uetusti dorici ornamenta[2]. ibi praeter conuiuium et Herculis cum Tritone pugnam etiam animalium figurae iam notae nobis proponuntur. canem sedentem, bouem pascentem, sphingas Centauros non moramur. occurrit enim leaena quae in aprum (an equum?) insiluit, occurrit ceruus fugiens ab eadem bestia correptus; proponitur taurus a bestia aduersa perdomitus et in genua prolapsus, denique duo taurorum paria, inter se utrumque pugnantia. sed tamen haec ut pendent ab exemplis antiquioribus, ita indiciis non obscuris artem ostendunt iam solui uinculis cupientem ac noua adpetentem.

Diutissime uero exempli ueteris auctoritatem par est in apparatu superstitioso obtinuisse. maxime lapides pretiosiores, quibus quantum uirtutis arcanae omnis antiquitas tribuerit, nemo nescit, efficaciores reddere soliti sunt insculptis rerum sacrarum imaginibus. eorum cupidissimi semper populi orientales fuerunt, sed et olim et post gliscente superstitione id genus phylacteriorum facile per occidentem propagatum est. in qua re sculptores aliquando typos imitabantur cylindrorum, quibus Babylonii Assyrii Phoenices Persae argillam siue aliam alii materiem lentam signabant[3]. In cylindro assyrio nunc uindobonensi[4] leonem maximum, dum erecto corpore taurum obuenientem

---

1) ed. Stackelbergius et Kestnerus l. s. tab. XXVII.

2) *monum. dell' inst.* III t. XXXIV Clarac, *musée de sculpture* t. 116 Texier, *description de l'Asie mineure* II t. 114ter. cf. Friederichs, *bausteine zur geschichte der griechisch-römischen plastik* p. 9 sqq.

3) de uarietate et usu cylindrorum cf. Layard *discoveries* p. 602 sqq. Rawlinson, *the five great monarchies* uol. I p. 93 sq. 263 sq. Ad utilissimum librum quem scripsit A. Cullimore, *Impressions of ancient rolling seals of the Babylonians* (Lond. 1842), doleo quod aditus mihi non patuit.

4) ed. F. Lajard, *culte de Vénus* tab. III B, 21.

praedaturus est, duo uiri seminudi armis aggrediuntur. Sardonychi, quem ex oriente Oliuerius reportauit[1], ceruus a leone oppressus tam rudi manu insculptus est quam scarabaeis a Lajardo editis caper et equus. delineatione paullo elegantiore etrusci commendantur scarabaei leone uel taurum uel aprum occupante insignes[2]. His imaginibus quam uim subesse ueteres crediderint, uereor ut recte ex eis intellegas, quae Aelianus[3] de Aegyptiorum ritu refert: tremendam bestiam, dum in sua praeda occupatur, non inhiaturam alii. multo tenacior fuit et celebratior opinio, malum imagine mali arceri: hinc profecto explicandum quod illis symplegmatis scuta[4] insignita sunt: exemplo erit amphora panathenaica, in qua Minerua clupeo utitur, cuius signum hoc est, leaena ceruum fugacem corripiens[5]. Verum luculentius eius rei documentum non noui quam lampadem quandam cortonensem, etrusco titulo notatam, perfectae artis aetate fabricatam, in qua plurimas figuras superstitio cumulauit, quae ad malum quidque ab igne arcendum idoneae esse uiderentur[6]: in eius tamquam umbilico Gorgonis caput horrendum conspicitur, quod qui ambit circulus belluatus ceruum aprum equum bouem a binis quemque bestiis occupatos repraesentat.

---

1) ed. idem ib. t. XIV A, 2. scarabaeos uide ibid. t. XVIII 5. 6.

2) taurum insecutus leo adoritur (Micali, *storia* t. CXVII 6); eundem aduersa fronte inuadit (ibid. n. 8 itemque in gemma a C. O. Muellero edita *denkm. der alten kunst* I tab. XV 57); pro tauro aprum habes apud Micalium ib. n. 7. Gemmae similes procul dubio in multis collectionibus multae seruantur, de berolinensibus cf. Toelken, *erkl. verseichniss der antiken steine der k. preuss. gemmensammlung* (1835) p. 402 n. 14—18. 21. 24, de uindobonensibus v. Sacken et Kenner, *die sammlungen des k. k. münz- und antikencabinets* (1866) p. 431 n. 123—5. p. 445 n. 912 sq. 919—921. gemmas gryphe ceruum deuorante insignes enumerat Stephani *compte rendu* 1864 p. 71, 9.

3) nat. anim. XII 7 *ἔχουσι* (sc. leones Leontopoli) *νεὼς καὶ διατριβὰς εὖ μάλα ἀφθόνους· καὶ κρέα βοῶν αὐτοῖς ἐστιν ὁσημέραι, καὶ διασπαρακτὰ κεῖται γυμνὰ ὀστέων καὶ ἰνῶν· καὶ ἐσθιόντων ἐπᾴδουσιν Αἰγυπτίᾳ φωνῇ, ἡ δὲ ὑπόθεσις τῆς ᾠδῆς· μὴ βασκήνητέ τινα τῶν ὁρώντων, καὶ ἔοικεν, ὡς ἂν εἴποις, ἀντὶ περιάπτων τὸ ᾆσμα.*

4) quae constat signis auertentibus muniri solita esse, cf. O. Iahnius, *berichte der sächs. gesellsch. der wissenschaften* 1855 uol. VII p. 57 sq. 63 sq.

5) *monum. dell' inst.* I tab. XXI—II. C. O. Müller, *denkm.* I tab. XVIII 92.

6) *monum. dell' inst.* III t. XLII et XLI. cf. Abeken *annali* 1842 uol. XIV p. 53 sqq. De lampadum phylactericis signis cf. O. Jahnius l. s. p. 74, 177 et tab. IV, 1.

Aliud genus monumentorum neque id infrequens nondum tetigi, sepulcrorum ornamenta. in quibus leoni locum quasi suum ac proprium esse cum facile sit ad animaduertendum, cauendum tamen uidetur esse, ne ad eandem rationem exempla omnia referamus. etenim leoni fortissimae bestiae custodiendum committebant quicquid ne profanae manus polluerent, cauebant. sic uel Assyrii lacum aquae ductus duobus leonibus erectis et aduersis ornarunt [1], similiter fere ut in porta mycenaea leones uides columnam tenentes; Graeci fontium capita leonina effingere solebant. templorum quoque et domorum introitus constat leonum figuris quasi munitos esse, quem ornatum ne christianae quidem ecclesiae olim deprecabantur [2]. Iam uero ipsam illam leonum custodum imaginem ad sepulcra transtulere: uelut in Phrygia Solonis cuiusdam manibus aedicula sacrata est [3], cuius zophorus duos leones repraesentat aduersum uenientes amphora media separatos; in uilla romana nunc Hofmanni, olim Mattei sarcophagum grandem uidi Musarum choro distinctum, in cuius parte postica aduersi duo leones anteriorem uterque pedem in urna ponunt. in qua re apparet ab exemplo antiquiore minimum discedi. longius distat neque tamen alienum est, cum in uasculo perantiquo uolcenti [4] supra tectum aediculae sepulcralis duo leones olore medio dirempti cedunt diuersi ac mortem minantur; in alio fictili [5] itidem in tecto sepulcri leonem

---

1) Layard *discoveries* p. 215, uers. uernaculae tab. III, *E.*

2) Fragmentum aetomatis Xanthi in acropoli repertum (ed. Hadr. Prachow inter antiquissima monumenta Lyciae tab. V 2) leonem prodit sic sedentem, ut appareat ad modum portae myceneae duos leones exaduersum positos fuisse pedibus anterioribus in re quadam media innixis. — De templis cf. Horapollinis hierogl. I 19 p. 27 ed. Leemans: *ἐγρηγορότα δὲ γράφοντες ἢ καὶ φύλακα λέοντος γράφουσι κεφαλήν .... διόπερ καὶ συμβολικῶς τοῖς κλείθροις τῶν ἱερῶν λέοντας ὡς φύλακας παρειλήφασιν.* Romae in s. Laurentii ecclesia extra muros sita ipse uidi portae columnas leonum protomis inniti. de s. Sophiae ecclesia beneuentana testis mihi est Borgia, *memorie storiche di Benevento* I p. 267. contra in ecclesia s. Ioannis et Pauli quae Romae est in monte caelio, uterque leo pilae suppositus animal unguibus tenet: dextri praedam aprum esse affirmo, alterum quale fuerit non liquet.

3) hodie locus uocatur Gombet-li. edidit I. R. Steuart, *description of some ancient monuments* (Lond. 1842) tab. XVI cf. p. 12. infra zophorum ad sinistram partem portae Gorgonis facies, ad dextram bos effictus est.

4) *annali dell' inst.* 1835 uol. VII tab. *D.*

5) Gerhard, *auserlesene griech. vasenbilder* tab. 241 (uol. IV, 1).

uideas aperto ore paratum ad necandum, si quis quietem deum manium turbare uelit. Itaque leonum sepulcro aut incubantium aut adstantium[1] rationem non diuersam esse oportet statuamus. quod enim eum ornatum nonnumquam alia caussa asciuerunt, ut nomen defuncti siue ut fortitudinem indicarent[2], inepti essemus, si morem multo latius patentem existimaremus potius ex singulari casu ortum, quam ab artificibus poetisque scite et lepide ad duplicem significationem traductum. quid leo significet, ipse apud Simonidem simplici uerbo et aperto indicat: *φρουρῶ*, scilicet defunctum[3].

Sed huic quaestioni potius ea sepulcra sunt necessaria, in quibus animalia a leonibus laniata exhibentur. quod genus (tantum enim iam licebit affirmare, postquam tot orbis antiqui regiones huius saeculi curiositas peruestigare coepit) quasi proprium sibi Asia minor uindicat. Ex Lycia in museum parisinum anaglyphon marmoreum adlatum est, in quo bouem leo diripiens cernitur[4]. ac Myris hodieque uisitur sepulcrum in rupe excisum, in cuius fastigio tauro ad dextram gradienti leo occurrit ceruicemque nequiquam obnisi corripit[5]. Xanthi similia inuenta sunt sepulcrorum ornamenta, duo

1) paucissima exempla attulisse satis habeo. leonem tumulo Hermiae reguli cyprii impositum memorat Plinius n. h. 37, 66; monumenta Lyciae suppedit C. Fellows, *an account of discoveries in Lycia* in tabulis paginae 174 et 176 adiunctis et Prachow l. s. tab. II 2. 3. in sepulcri tiburtini nunc diruti superiore parte leo gradiens sculptus erat, cf. P. Santi Bartoli *gli antichi sepolcri* tab. 49. denique in urna quoque cineraria accubantem leonem testatur Conestabile *monum. di Perugia* t. LXXVI 2. ceterum cf. Zoega de obeliscis p. 362.

2) nota sunt exempla Leonis Sinopensis (tit. graec. a L. Stephani collect. fasc. III tab. I cf. p. 23, 6) et eius in quem Callimachi fertur epigramma anth. pal. VII 344, 3 cf. O. Schneider Callim. I p. 99. fortitudinem causam prodit Simonides elegantissimo epigrammate anth. pal. VII 344

*Θηρῶν μὲν κ'ρτιστος ἐγώ, θνατῶν δ' ὃν ἐγὼ νῦν*
*φρουρῶ τῷδε τάφῳ λάινος ἐμβιβαώς,*

et Antipater Sidonius ibid. VII 426, eamque adhibeas licet monumento eorum qui ad Chaeroneam pro Graeciae libertate occubuerant (cf. A. Schaefer, *Demosth.* II p. 534). Vid. Stephani l. s. p. 19 sqq.

3) Breuiter adnoto saepe numero sarcophagis capita leonum prominentia affigi, cf. Visconti mus. Pio-clement. IV t. 29 (*cortile del Belvedere* n. 28), Conestabile *monum. di Perugia* t. LXXX, 3. 4, Lasinio *sarcofagi* cett. *del campo santo di Pisa* tab. CXLV n. 83, Clarac *musée de sculpture* t. 254 n. 772 alia. Conferri potest caput leonis pilae sacelli dis manibus dicati superpositum Myris in Lycia (C. Texier, *description de l'Asie mineure* uol. III t. 226 Fellows, *an account* tab. p. 197).

4) Clarac, *musée de sculpture* t. 223 n. 189 cf. Friederichs, *bausteine* p. 535 n. 930.

5) Texier l. s. III t. 225 cf. id. p. 239 sq. Fellows, *an account* tab. p. 197.

leones bouem depascentes, leo ceruam oppressam lanians [1]. Aezanis in Phrygia mausoleum diem tulit, in cuius zophoro praeter alia haec scaena exhibetur: taurum leo fronte aduersa adortus umerum mordet, alter leo arbore media ab illis separatus cito adcurrit ne praeda careat [2]. ibidemque in tympano monumenti sepulcralis duo leones pedibus anterioribus ceruo in genua collapso innisis feroci uultu alter alterum intuentur.

Multo in aliis terris rariora sunt eiusmodi ornamenta, inueniuntur tamen uel signa statuaria arte efficta, quale illud monumentum fuit quod Libanius describit, uel quale Claudianus meminisse uidetur epigr. III quo 'toruum aprum fuluumque leonem' pugnantes admiratur. quae tumulis olim imposita fuisse ueri simillima est omnium opinio. Leo bouem opprimens Athenis inuentus hodie in Theseo spectatur [3], aliud scaenae sine dubio eiusdem fragmentum postea ibidem protractum est. in museo nostro antiquitatum simulacrum simile proponitur, prope Bonnam ad Wodanis collem repertum: aprum leo diripere coepit. dum uir dextero genu in dorso leonis, sinistro pede in terra nisus deicere bestiam conatur [4]. ibidemque in lapide Marcini militis memoriae consecrato supra aetoma zophorus sculptus fuit, in cuius fragmento seruato leonem uideas apro conlapso inhiantem, in altera parte deperdita eandem aut similem scaenam edolatam fuisse probabile est [5]. In Italia inferiore conicias saltem pauperiores ornamenta sepulcris fictilia affixisse. illic enim cum anaglyphon fictile berolinense, olim neapolitanum procul dubio inuentum est, in quo leones duo bouem laniant [6], tum alterum simillimum quod Rubis Friederichsius apud comitem Fenici uidit, pro boue ceruum aut equum exhibens [7].

1) Fellows, *an account* tab. p. 174. alterum anaglyphon leonis et ceruae accuratissime edidit Prachow l. s. t. VI B, *d*. sed haec num sepulcralia sint, uideo dubium esse.

2) Texier I t. 45. 46. idemque I t. 37 cf. p. 123.

3) R. Kekulé, *die antiken bildwerke im Theseion zu Athen* n. 1. alterius signi fragmentum editum est in ephemeride archaeol. athen. 1862 tab. *II*, 4 cf. p. 49.

4) cf. I. Overbeck, *katalog des kön. rhein. museums vaterländischer alterthümer* (1851) p. 82 sq. n. 166.

5) Overbeckius ibid. p. 35 n. 71 id monumentum ita describit, ut uideatur non ipse uidisse.

6) E. Gerhard, *antike bildwerke* t. 78, 2.

7) Friederichs, *kunst und leben* (Düsseld. 1872) p. 194.

Sed occidentalem regionem uix dubitari poterit quin Phoenices hoc genus ornamenti etiam sepulcris adhibere docuerint. Punicum enim esse, quod nunc Marsalae asseruatur et Motyae repertum esse fertur, anaglyphon grande Ricardus Schoene, ut mihi quidem uidetur, uerissime coniecit: bouem in eo leaenae duae opprimunt laniantque [1]. Certius indicium ex arte etrusca repetas. in cellis pictura ornatis, quales in Tarquiniorum necropoli permultae iam reclusae sunt, saepius obserues fastigium parietis tum eius per quem introitus patet, tum aduersi leonum imaginibus distingui: quem ornatum ad similitudinem aedicularum dis manibus sacratarum expressum esse iam non opus erit dictu. Inter antiquissimas cellas ea habetur, uulgo quae *tomba delle iscrizioni* dicitur: ibi in parietis tympano medio leones duo diuersi adsident caudis sursum uersis, uterque pedem anteriorem contra dammam leuat demisso capite obuenientem, dum ex angulis tympani utrimque leo procurrit dammae imminens [2]. plerumque in utroque latere tympani fera pingitur ad medium uersa, modo leones modo pantherae [3]; alibi in fastigiis similiter adornatis leo cum columba aut cum delphine conponitur. Sed quo magis ars pictorum maturescit et ad graeca exempla se conponit, priscum illum ornatum fastidiri facile est ad obseruandum. medium fere locum tenet sepulcrum, triclinii quod dicitur [4]: parietis enim aduersi fastigium medium ederae flexibus occupatur [5], in utroque angulo iam animalium loco adulescens nudus accumbit:

---

1) *archaeol. zeitung* 1872 uol. XXIX tab. 21 cf. Schoene ib. p. 133 sq.

2) *mus. etr. gregor.* I t. CIII Micali, *storia* t. LXVII 5 Stackelbergius et Kestnerus l. s. t. XXII. XXI, 1. In sepulcris uolcentibus similiter zophori picti ferarum figuris et symplegmatis distinguebantur, cf. Noël des Vergers, *l'Étrurie* III t. XXII sqq.

3) *tomba del pulcinella* cf. E. Brizio *bullett. dell' inst.* 1873 p. 77 et *Sulle scoperte archeologiche della città e provincia di Roma negli anni* 1871—72 p. 117: '*nell' archivolto .... sono ancora figurate due tigri* [ego leones uidere mihi uidebar] *colle fauci aperte e colle zampe appoggiate ad un' ara di forma bizzarra, che rassomiglia ad un capitello*'. panthera colore fere ueneto maculis rubris distincto ex utroque angulo procurrit in cella moribundi quae dicitur; easdem uidi in cella quae *tomba Francesca* aut *delle due bighe* dicitur (maculae pelli pantherae aspersae colore obscuriore sunt); praeterea in *grotta Querciola* cf. *mon. dell' inst.* I t. XXXIII *mus. etr.* I t. CIV. leo cum columba iungitur *mus. etr.* I t. XCIX, de delphine addito dixi p. 7 adn.

4) *mon. dell' inst.* I t. XXXII *mus. etr.* I t. CII.

5) primitus in medio tympano sine dubio illud ornamentum ponebatur quod Assyriis sacrum

sed in eius parietis per quem intraueris fastigio tigridem ex utroque angulo procurrere uideas. in egregia uero cella quae a bigis uocatur omnis moris antiqui memoria euanuit sublatis etiam de medio tympano ornamentis solitis, laeto enim conuiuio totum parietis fastigium completur[1]. Nec tamen mos ille ab Etruscis penitus abolitus est. nam postquam sarcophagos sculptorum ars distinguere figuris coepit, maxime latera ornare illius generis anaglyphis placuit. satis erit duo monumenta etrusca indicasse, sarcophagum Polimartii repertum, in cuius utroque latere ceruus hic a gryphe et leaena, illic a leaenis duabus diripitur[2], et uolcentem, in quo cum taurus a leonibus duobus, tum equus a totidem gryphibus laniatur[3]. Refero huc aliam quoque imaginem diuersam, quae in urnis cinerariis perusinis uariatur, homines a gryphibus impetitos. in alia uirum barbatum et tunicatum gryps aggreditur iam humi deiectum[4], in alia Amazonem esse quae a gryphe opprimatur pelta indicio est[5]; in tertia, nisi fallor, Arimaspus pilleo qualem Castores gerunt tectus, dextra scuto munita, sinistra saxo innisa letum a gryphe adsiliente exspectat, dum post tergum bestiae similis persona accedit opem illi latura[6].

Ex Etruria aetate imperatorum ille sarcophagorum ornatus ad ceteros quoque Italos fluxisse uidetur. permagnus enim est numerus exemplorum hodieque superstitum. quae omnia formam produnt labro similem: ληνούς Graeci uocabant adeoque σκάφας aut πυέλους[7]. Quod qui obseruauit uir longe

---

fuit et uulgo arbor sacra dicitur: cuius imitatio dici nequit quam late pateat in ornamentis uasorum aliarumque rerum. in Tarquiniensium pictura sepulcrali illud ipsum non memini me uidere, sed locum tamen uestigia quaedam indicant, ut in hoc sepulcro edera, in cella inscriptionum (supra p. 17, 2) leonum caudae modo tam miro in ornamenti speciem compositae.

1) Micali, *storia* t. LXVIII, 1 *mus. etr.* I t. CI Stackelbergius et Kestnerus t. II. IV, cf. de ea cella Kestnerus *annali dell' inst.* 1829 p. 104 sqq.

2) *mon. dell' inst.* I tab. XLII, 7 cf. *annali* 1832 uol. IV p. 284 sq.

3) *mon. dell' inst.* VIII t. XVIII.

4) Conestabile, *monumenti di Perugia* tab. XVII, 2.

5) idem t. LXXX, 1. Amazonum cum gryphibus pugna fabula nota est, cf. Welcker, *alte denkmäler* II p. 78. adde *antiquités du Bosphore cimm.* t. LVIII, 2.

6) Conest. t. LXXX, 2.

7) ληνός in titulis Thessalonicae CIG 1993. 1979. 1981, σκάφη Nicaeae in Bithynia CIG 3757, πύελος Nicomediae CIG 3777. 3785. ex formulis titulorum 1981. 1979. 3785 intellegas satis magnos hos sarcophagos potuisse esse, ut plures homines liceret eodem condere. errant igitur qui

eruditissimus L. Stephanius, idem exempla non minus XV enumerauit[1], quibus romana sex nuper a me inspecta possum adicere. duo genera necessario distinguuntur, unum eorum sarcophagorum, in quibus plerumque leo repraesentatur praedam (quod enim animal aggrediatur, nil refert in tanta uarietate) diripiens: in altero accedit uir aut iuuenis animal a leone defendens aut certe defensuro similis.

Ex illo genere sunt I sarcophagus in peristylio musei uaticani, numero carens, cf. *descrizione dei musei vaticani* (Rom. 1870) p. 288: in utroque latere leo ibicem (ceruum non recte catalogi scriptores aiunt) deuorat. II in museo claramontano infra statuam Herculis (siue potius fluuii) iacentis (n. 733), cf. *descriz.* p. 227: in sinistro latere aper, in dextro ibex uel caper a leone diripitur. III in compito uiae *dell' orso* et angiportus cui *vicolo de' soldati* nomen est, muro insertum est latus rotundum sarcophagi fracti, in quo leo aprum oppressum laniare coepit. addas notatos a Stephanio hosce IV uaticanum in porticu peristylii n. 58 cf. *descriz.* p. 161 *beschreibung Roms* II 2 p. 144 n. 62: in utroque latere leo ibicem uel caprum deuorat. V capitolinum in musei scala n. 5 cf. *beschreibung Roms* III, 1 p. 162: in latere uno seruato leo ibicem diripit. VI ap. Gorium, monum. siue columbar. libertorum et seruorum Iuliae Augustae tab. VIII: leo in sin. lat. ibicem, in d. aprum deuorat. VII pisanum ap. Lasinium, *raccolta di sarcofagi* cett. *del campo santo di Pisa* tab. X: in utroque lat. leo capram inuadit. VIII pisanum et ipsum, ibid. t. CXLV n. XLIII: in utroque lat. leo ceruae (an equo) inhiat. IX parisinum cf. Clarac, *musée de sculpture* tab. 256 n. 723: leo in l. sin. aprum, in d. equum diripit.

ex altero genere, cuius similitudinem etiam monumentum bonnense illud refert de quo supra p. 16, 4 dixi, hi mihi innotuerunt X uaticanus in collectione lapidum inscriptorum n. 142 cf. *descriz.* p. 32, ex duobus lateribus sarcophagi maximi male concinnatus: in utroque lat. equum oppressum leo laniat, in eiusque tergo uir tunicatus apparet, quem nescias, fugamne petiturus torpeat an oppugnaturus sit feram. uenabulo tamen munitus est hamato, quali in pauimento tessellato uillae borghesianae[2] bestiarii utuntur. XI fragmenta sarcophagi in uilla Albani ei muro inserta, quem praeteriens ad cameram aegyptiam peruenias; seruatum autem est utrumque latus eodem anaglypho notatum: apro a leone oppresso salutem uir ferre uidetur uestitus, dextra praetensa, sinistra eodem illo uenabulo munita. XII alterum latus sarcophagi fracti in museo claramontano infra Herculis statuam n. 294 cf. *descriz.* p. 153: hic quoque aprum leo dilaniare coepit, sed instat homo sinistra

---

sarcophagos maiores siue uasa balnearia olim fuisse siue lacus uinarios (ut E. Q. Visconti, *musée Pie-Clémentin* uol. IV p. 222) opinantur.

1) *Compte rendu* 1867 p. 146, 4. de XV sarcophagis ibi memoratis tertiam partem non noui (*e*, *m*—*o*), demendus tamen numero unus est *p* (Gerh. *ant. bildw.* t. 78), de quo monumento supra p. 16, 6 dixi.

2) in G. Henzeni 'explicatione musiui in uilla burghesiana asseruati' (*dissertazioni della pontif. academia romana di archeologia* uol. XII 1852) tab. II, cf. idem ib. p. 118 cum adnot. 169 p. 137. *σιγύνην* uel *σιβύνην* Graeci illud telum uocabant (cf. Stephani, *compte rendu* 1867 p. 65 sq.), quod glossa Cyrilli 'uenabulum' interpretatur.

leuata, dextra hastam non satis distinctam gerente. addas quos ediderunt XIII Lasinius l. s. t. VIII XIV Gorius inscr. antiquae Etruriae uol. III tab. XXXI XV. XVI E. Gerhardus *ant. bildwerke* tab. 79, 1. 3 utrumque romanum (ex villa *Miollis*): ex quibus quattuor nouissimi eo sunt memorabiles, quod iuuenis inberbis et inermis dextra leuata opem expetere uidetur; sed tamen cinctus leonis (n. XIV—XVI), amphitheatri indicium (cf. Stephani l. s.), monstrat hanc discrepantiam non eo ualere posse, ut hos quattuor a reliquis secernamus.

Hunc sarcophagorum ornatum ex uenationibus amphitheatri repetitum esse Stephanius uerissime sane contendit. idque egregie confirmatur anaglyphis n. X—XII. neque enim aliena a funere uenationum illarum memoria est, siquidem in inferiis non gladiatorum solum munera sed uenationes quoque non numquam editas esse constat[1], et saepe numero scaenas amphitheatrales inter ornamenta sepulcrorum aetatis posterioris repraesentari hodieque uidemus[2]. attamen haud scio an fallatur si quis haec nil nisi recentem amphitheatri memoriam spirare opinetur. ego si mecum recolo quae supra conposui et post dicturus sum, non possum quin haec amphitheatralia antiquum exemplar ad praesentia leniter inflexum referre statuam. sunt etiam, quae abhorreant ab illa explicatione, non solum etrusca qualia ante memoraui, sed romana quoque. siluam habes duabus arboribus significatam in operculo sarcophagi in crypta s. Luciae reperti[3], in quo apro oppresso leo uidet sibi cum homine hastato pugnandum esse et contra eum adsurgit, alterum in tergo appropinquare non sentit. Illud quoque anaglyphon quod olim in uilla iulia Pighius uidit et delineauit[4], sepulcralium in numero pono, non uotiuorum: in quo cum leo bouem dilaniet, ager paene picturae pompeianae modo indicatur.

## II

Tandem aliquando tamquam per siluarum densitatem longam uiam et flexuosam emensi emergimus in lucem. relinquitur enim unum monumentorum

---

1) cf. Cassius Dio XLIII 22, 3.

2) cf. Conestabile, *monumenti di Perugia* t. LXXXI, 1 *mon. dell' inst.* III t. XXXVIII alia.

3) edidit I. B. de Rossi, *Roma sotterranea* uol. I tab. XXXI, 5.

4) edidit O. Iahn, *annali dell' inst.* 1852 uol. XXIV tab. *K*, cf. id. p. 215, *berichte der sächs. gesellsch.* 1868 uol. XX p. 190 sq.

genus ut modulo minimum, ita auctoritate et usu facile primum, numismata. quodsi thesauros nummarios perlustremus, oculi nostri in eis maxime numismatis haerebunt, quae sub Persarum imperio in Cilicia et Cypro cusa sunt. atque ceruum a leone inuasum figuris quasi uiuentibus nummi regum Citiensium aurei et argentei monstrant, quorum specimen, trientem regis Baalmelek, tabula nostra n. 1 exhibet. iam enim, postquam de Vogüé, comitum et legatorum doctissimus rem profligauit, de illorum origine liquet[1]. sollemnis eorum typus hic est, ut in antica Hercules dextrorsum prodeat paene nudus exuuiis leonis de umero et tergo fluentibus aut de brachio sinistro pendentibus, sinistra arcum praetendens, dextera leuata clauam iactans, in postica symplegma leonis et cerui ceu potius dammae[2] dextrouersus spectantium exprimatur. uariatum est in nummis moduli minoris. ueluti obolum Baalmelek rex capite Herculis insigniuit postica non mutata, dimidiatum in a. Herculis capite, in p. leone sedente[3]. Demonicus anticam tantum imitatus in postica Mineruam opposuit armatam, sinistrorsum adstantem[4]. A ceteris ciuitatibus cypriis ille Citiensium typus alienus est, etsi Salamine leonis modo assilientis modo gradientis modo sedentis imago non infrequens fuit[5].

Sed Tarsenses in Cilicia postquam nummorum partem primorem imagine numinis tutelaris, Beli tarsensis adsidentis, spicam et racèmum dextra tenentis

1) *revue numismatique* 1867 p. 364 sqq. cum tabula XI (uel *mélanges d'archéologie orientale* Par. 1868 in appendice). magnam speciminum copiam ante oculos ponit de Luynes, *essai sur la numismatique des satrapies et de la Phénicie sous les rois achaeménides* Par. 1846 tab. XIII 2—20. XIV 22—26. XV 35—40; singula quaedam Raoul-Rochette *mém. d'archéol. comp.* tab. II 2—5 et *mém. de l'acad. des inscr.* uol. XVI 2 tab. II 7, R. H. Lang *numismatic chronicle* 1871 uol. XI p. 16, ut eos taceam qui exempla minus scite expressisse uidentur.

2) dammam maculae arguunt pelli aspersae in exemplo Imhoofii Blumeri Vitodurani cf. Salleti *zeitschr. für numismatik* I p. 152 sq. tab. IV, 20. sed idem testis oculatus in plerisque exemplis ab ipso inspectis dammam affirmat indicari, cuius rei uestigium ne in nostrae quidem tabulae specimine deest.

3) cf. de Vogüé l. s. p. 369.

4) id. p. 377 sq. tab. XI 17. 18 cf. I. Brandis, *das münz- mass- und gewichtswesen in Vorderasien* p. 366 sq.

5) cf. de Luynes, *numismatique et inscriptions cypriotes* (Par. 1852) tab. II. VI 5—8. VII 5 (caput). XII 2. 6. cf. Brandis l. s. p. 362.

(uide tab. n. 2) signare coeperunt, quod circiter CCCC annis ante Chr. n. factum Brandisius conicit, in posticam typum citiensem receperunt leniter mutatum, ut sinistrorsum bestiae uerterentur (tab. n. 3)[1]. in cuius locum postea bouem a leone laceratum[2], deinde leonem sinistrorsum gradientem[3] substituere. Bouem illi faciunt bicornem sinistrorsum concidere a leone oppressum dentibus ceruicem petente, eamque notam et ipsi Tarsenses Caesarum aetate aliquotiens[4] repetierunt, ut factum est in nummis Hadriani Gordiani Decii Hostiliani, et olim circa Alexandri magni tempora reguli Cilicum Sames et Abdsohar imitati sunt. sed cum Sames[5] et anticae et posticae notas illo tempore Tarsi legitimas (ad Bélum tunc aquila accesserat) accurate exprimeret (tab. n. 2), Abdsohar[6] posticam sic immutari iussit, ut leo posterioribus pedibus terrae innisus fronte aduersa bouem inuaderet dentibus in umeros incussis. Bouis leonisque formam simillimam tarsensi eandemque haud scio an paullo antiquiorem Bybliorum moneta prodit, cuius antica nauem longam militibus armatam, in prora capite leonino ornatam et infra eam

---

1) de Luynes, *numism. des satr.* tab. VIII 3—6; Raoul-Rochette *mém. de l'acad.* XVI, 2 tab. II 5 Lajard ibid. XVII, 1 tab. II 13 et *culte de Vénus* t. XIV A, 6 ad exemplum thesauri parisiensis, in quo facile dammam agnoscas. cf. Brandisius l. s. p. 500' et de tempore huius monetae p. 349.

2) de Luynes, *num. des satr.* t. VIII 9 — IX 12; Raoul-Rochette *mém. de l'ac.* XVI, 2 tab. II 6. cf. Brandisius p. 500 sq., qui Alexandri magni aetate posticam mutatam p. 351 ideo statuit, quod simul in antica Belo aquila accessit ex Alexandri nummis repetitus. unum tamen praesto est exemplum (de Luynes VII 6), in quo aquila deest, cum postica bouem pro ceruo exhibeat laniatum; praeterea cf. p. 23 adn. 2.

3) de Luynes l. s. IX 13. 14. 17 — XI 35.

4) Hadriani nummum ediderunt de Luynes VII 7 et Lajard, *culte de Vénus* t. XVII 6 cf. Mionnet *descr.* t. III p. 625 n. 422, Gordiani Lajard ibid. n. 7 cf. Mionnet l. s. p. 645 n. 543—7, Decii V. Langlois *revue numism.* 1854 tab. VIII, 50 cf. p. 102 n. 69 Mionnet l. s. p. 650 n. 590 sq., Hostiliani memorat Mionnet p. 653 n. 598; accedit fort. nummus Caracallae cf. Mionnet *supplém.* VII p. 271 n. 457.

5) de Luynes tab. IV *Gaos* 1—V 8, qui hos nummos Gao satrapae adscribebat cf. p. 31 sq. Blau, *zeitschr. der deutschen morgenländ. gesellschaft* VI p. 466 sqq. primus nomen *sam* agnouit, quod reguli nomen esse intellexit Waddington *revue numism.* 1860 p. 453 (*mélanges de numism. et de philologie* p. 79), cf. Brandisius p. 351. 430.

6) de Luynes t. III 1—IV 4. VIII 7. 8 (quamquam hos duos Brandisius p. 500 ab illis separat); Lajard *culte de Vénus* XVII 4. cf. Waddington *rev. numism.* 1860 p. 444 sq. (*mélanges* p. 70 sq.).

hippocampum exhibet, postica plerumque bouem unicornem sub leonis uoracis pondere conlapsum repraesentat[1].

Sed latius patet uarietas monetae phoeniciae. Apro leonem superponit potius quam imponit nummus graecae ut uidetur fabricae satis antiquus et littera phoenicia notatus (tab. n. 5), quem etsi Bagaeo satrapae dux de Luynes tribuit, nil tamen de origine liquet. Leonis loco gryps (tab. n. 4) prodit in nummis, qui sub Ariarate satrapa Gaziurae ad Irim in Ponto emissi sunt[2]: ubi cum anticae signum, quod Beli gaziurani esse nomen additum indicat, manifesto ex moneta tarsensi repetitum sit, quis dubitabit quin ceruus sinistrorsum collapsus indidem fluxerit, gryps secundum ipsius ciuitatis fabulas leonis in locum successerit? hoc gryphis et cerui signum etiam in Bocchi regis Mauretaniae nummo argenteo inest tam simile illis, ut uix potuerint membra singula quaeque accuratius exprimi[3].

Tantum de Phoenicum moneta. a quibus propius abest lycia, in qua cum leonis caput non raro obueniat, etiam leonis bouem aduersum adorti et lumbos morsu petentis imago conspicitur[4]. Graeci in hac quoque re exemplaria peregrina arte sua atque ingenio nobilitarunt. atque ceruum a leone oppressum Velienses siue Eleatae (tab. n. 8), bouem Acanthii in Macedonia (tab. n. 9) typis pulcherrimis effingere soliti sunt. Acanthii[5], quos constat sae-

---

1) de Luynes t. XV 41—45 (ap. Lajardum *culte de Vénus* t. XVII 5 bos bicornis exhibetur, credo errore operarum). cf. de Vogüé *revue numism.* 1856 p. 217 Brandisius p. 116. 511 sq.

2) de Luynes t. V 1—3 Waddington *rev. num.* 1861 t. I 6—8 Lajard, *culte de Vénus* t. III A, 10. hos nummos multo quam de Luynes p. 37 confidentius Blauius Sinopensibus uindicabat *zeitschr. d. deutschen morgenl. ges.* IX p. 79 sqq. *de numis Achaem.* p. 7. Waddingtonis demum merito factum est, ut nomina *baal-gazor* et *ariorath* recte legerentur, l. s. p. 1 sq. 6 sq. (*mél.* p. 82 sqq.) cf. Brandisius p. 237 sq. 352. 427. Adnotandum est ex uetustiore moneta tarsensi ceruum adsumi, cum secundum recentiorem aquila Belo addatur. Ceterum gryphem nouimus etiam ex numo byblio (cf. Brand. p. 512).

3) Lajard, *culte de Vénus* t. XII 4: in antica gryps ceruum deuorat, uterque ad sinistram spectans; in postica gryps stat sinistrorsum, supra eum discus solis alatus, infra REX BOCV legitur.

4) C. Fellows, *coins of ancient Lycia* t. X 2. XII 2 (XIII 6?), cf. Spratt et Forbes, *travels in Lycia* II p. 294. proprium his est quod bos nondum plane concidit, sed anteriores tantum pedes in genua conlapsi sunt, posteriores stant recti.

5) conspectum numorum Brandisius exhibet p. 532 sq. Mionnet *descr.* I p. 460 sq. *supplément* III p. 14 sqq., de temporibus eorum cf. v. Sallet *zeitschr. f. numism.* I p. 165 sq. antiquiorum spe-

culo V atticae monetae ponderibus usos esse, post a. 424 cum ab Atheniensium societate defecissent, pondera paullulum deminuisse, potuerunt, quae ducis de Luynes[1] sententia est, a. 480 in societatem et amicitiam Persarum recepti phoenicii typi seu mauis lycii imitandi consilium capere. sed obstat hoc maxime quod antiquiore tempore, antequam leonis bouisque symplegma sollemnis fieret anticae ornatus, fluctuauit ea[2] inter bouem retro spectantem, dextrorsum aut stantem aut in genua procidentem, caput bouis, protomen leonis; denique tunc non bouem solum sed etiam aprum a leone laniatum (tab. n. 10) expresserunt. itaque non tam recentem Persarum amicitiam, quam eorum memoriam, quae olim Phoenicum commercium attulerat, effecisse statuemus, ut imagine graecis artibus longe uetustiore nummos suos Acanthii notarent. Difficilior et aliquanto grauior de Veliensibus est quaestio. quorum qui antiquissimi sunt nummi argentei in antica protomen leonis reliquias praedae uorantis ostendunt, in postica quadratum incusum, eisdemque ponderibus sunt quibus moneta antiqua Phocaeensium[3]; simillimosque nummos in Gallia meridionali inuentos Massiliensium esse suspitio probabilis est[4]. deinceps illi leonem plerumque dextrorsum gradientem uel paratum prosilire excuderunt, anticam capite Mineruae galeato, nonnumquam alius deae notarunt[5].

---

cimina uide ap. Mionnetum *rec. des pl.* t. XLV 5 *supplém.* III tab. III 5—7 num. musei G. Hunter tab. 1, XVI Lajard, *culte de Vénus* t. XVIII 1 Friedländer et v. Sallet, *das kön. münzkabinet* t. IV 190: recentiorum anno 424 ap. Mionn. *rec.* t. XLVIII 2. 3 *suppl.* III t. IV. Bouem in illis nusquam non unicornem obseruabis.

1) *num. des satr.* p. 41 conl. Herod. VII 116.

2) bouis procumbentis specimen edidit Mionnet *suppl.* III t. III 4. Adde quod in antiquiore nummo etiam leaena (Mionn. l. s. n. 5 cf. v. Sallet l. s. p. 167, 2) boui imposita est modo cum a ueritate tum a reliquorum arte alieno. ut uideas Acanthios quoque uariis gradibus ad symplegma affabre fingendum escendisse. A Bybliorum et Cilicum exemplis nota acanthia eo maxime distat, quod illic bouem insecutus, hic adversum adortus leo opprimit; ne Abdsohari quidem nummi aut lycii apte comparari possunt.

3) F. Carellii *nummorum ueterum Italiae* tab. CXXXVI 1—3, cf. ibid. Auellinus et Cauedonius p. 73 Millingen *considér. sur la num. de l'anc. Italie* p. 92 Leake *num. hellen., europ. Greece* p. 123 Mommsen *röm. münzwesen* p. 156 sq. Sambon *monnaies de la presqu' île italique* p. 307.

4) cf. v. Sallet *zeitschr. f. num.* II p. 121 sq. E. Curtius ibid. I p. 2.

5) Carellii t. CXXXVI 12 sqq. mus. Hunteri t. 61, XVI sqq. Mionnet *recueil* t. LXIV 10 sq.

tum demum arte matura iam ac plane perfecta illud symplegma elegantissime, ut ceruum iam iam corruentem sub pondere leonis et dolorum uidere tibi uidearis (tab. n. 8), exprimere coeperunt addito in antica Mineruae capite[1]. neque tamen leonem gradientem, neque uescentem capite arietis siue ossa frangentem neque protomen nummis recentioribus non adhibuerunt[2], ut Massilienses fere gradientis leonis typo acquieuere[3]. Iam uero Velienses ac Massilienses Phocaea relicta una cum ponderibus[4] etiam signa nummorum par est ex patria repetita secutos esse. atqui Phocaeensium moneta Persarum imperio uetustior, quatenus ea quidem propter uituli marini notam superadditam illis satis tuto adscribi potest, in nummis minoris moduli et ipsa leonis caput uel etiam uescentis protomen prae se fert[5]. Lydi a quibus E. Curtius monetae originem repetit, protomas leonis et bouis siue aduersas siue diuersas expressere coniunctas, ut uides in nummo aureo ad Croesi aetatem referendo quem tabula nostra n. 7 exhibet[6]. quem typum quid censes aliud esse nisi symplegma leonis et bouis pro rudiuscula illius aetatis arte indicatum potius quam expressum? Contra si Phocaeenses primos signa nummis imponere coepisse Mommsenus Brandisiusque recte statuerunt, aliquanto facilius intellegetur, qui factum sit ut tam frequentes essent in nummis Asiae maxime et

---

Friedl. et v. Sallet, *d. kön. münzkab.* t. VIII 487 *A catalogue of the greek coins in the british museum, Italy* p. 304 cf. Mommsen l. s.

1) Carellii t. CXLII 67—76 (sinistram uersus bestiae collocantur n. 68. 69. 75), de Luynes *choix de médailles grecques* t. III 13—17; cf. de Witte *rev. numism.* 1838 p. 8 sq. Hunc typum Augusti aetate M. Durmius III uirum monet. imitatus est, cf. H. Cohen, *descr. gén. des monnaies de la république romaine* t. XVII *Durmia* 6.

2) leonis dextrorsum gradientis specimina Carellius exhibet tab. CXXXVII 17—19. 22—27. CXXXVIII 28—41. CXXXIX 43. 45—49. CXL 53, sinistrorsum uersi multo pauciora n. 20. 21. 42. 44. 64—66; uescentis haec t. CXL 54 sq. 58 sq. (cap. arietis) 56 (inc.) 50—52. 57. 60 sq. (osse), cf. n. 62 sq. protome in aereis redit cf. Carell. CXLIII 87 cat. numm. gr. Italiae in mus. brit. coll. p. 316.

3) Mionnet *rec.* t. LXIII 2 mus. Hunteri t. 36, I sqq. *rev. num.* 1861 t. XVII al. cf. Mionn. *descr.* I p. 67 sqq. *suppl.* I p. 133 sqq. Mommsen l. s. p. 397 sq. Bouem cornupetam quod eidem admiserunt (mus. Hunt. 36, XV sq.), sub hanc quaestionem non cadit.

4) cf. Mommsen p. 113 sq. Brandis p. 109. 329.

5) uide indicem Brandisii p. 396 sq.

6) u. ind. Brandisii p. 386 sq. alia specimina ediderunt Mionnet *rec.* t. XXXVI 2 D. Sestini *descriz. degli stateri antichi* t. IX 13—17 Lajard *culte de Vénus* t. XVIII 7.

insularum graecis leonis notae. in hac uero leonis capitisque leonini frequentia casu factum esse hoc nequit, quod oppressum a leone bouem Graeci nulli nisi Acanthii, ceruum soli Velienses nummis signandis adhibuere[1]. itaque sic statuemus leonis cum ceruo symplegma Phocaeensibus in rebus sacris sollemne olim in moneta indicari tantum solitum protome leonis proposita, postea demum a colonis Veliensibus arte maturiore et ad maiora audenda prouecta in nummis expressum esse.

Nummorum ope eo peruenimus, ut imagini cerui a leone laniati sedem propriam apud Phoenices Citium in insula Cypro, apud Graecos Phocaeam fuisse uideamus. Est etiam aliud quod lucremur. ut enim Velienses illi imagini caput opposuere Mineruae, sic reguli Citiensium Herculem. utrumque numen constat omnium maxime in deum auertentium et salutiferorum numero esse habitum. sed citienses numi eo habitu Herculem proponunt, ut non possit non referri ad signum posticae: immo coniuncta anticae et posticae signa quasi unam repraesentant scaenam, Herculem opem ceruo oppresso ferentem feramque profligaturum. Quod si quis negauerit recte a nobis statui, conferat uelim nummum corinthium graeci illum quidem argumenti sed simillimi, qui cum Chimaeram dextrorsum impetum facientem in postica exhibeat, in antica Bellerophontem facit Pegaso uectum hastam deorsum dirigere[2]. sed parco uerbis. quid enim poterit certius esse quam et Phoe-

---

1) Neque enim obstant rarissima quaedam exempla siciliensis monetae, de quibus olim certiorem me fecit Imhoof-Blumer. nam quod in tedradrachmo syracusano musei britannici nuper ab Headio *numism. chronicle* 1874 uol. XIV tab. V 3 cf. p. 22 edito [Æ gr. 17, 13 in ant. caput Arethusae sinistrorsum spectantis, infra tres delphini, adscr. · ΩΙƐΟꓘΑϘΥƐ, ΙΜ] postica infra legitimam notam, quadrigam Victoria supra uolitante, in segmento bouem sub leone conlapsum exhibet, id nemo rei nummariae peritus ex Syracusarum urbis institutis repetet. Multo sane notabilior est nummus aereus siciliensis (hemilitron gr. 4, 45), quem amicus ille meus Parisiis uidit apud mercatorem nummarium et Piaci oppidi esse nuper egregie diuinauit: in ant. caput iuuenile dei (fluuii?) cornutum laureatumque ad sinistram uersum, ante faciem ad sinistram globuli sex, inter quos hae leguntur litterae ////·Ι·Α·Κ·Ι·Ν· hoc est [*Π*]*ιακιν*(*ῶν*); in post. cerua collapsa, cuius in tergo fera insidet guttura morsu petens: canem esse Imhoofius affirmat, ego in phototypo, quod idem his diebus ad me misit, leonem agnoscere mihi uideor.

2) *numism. chronicle* 1871 uol. XI tab. VI, 1 cf. Friedlaenderi et Salleti cat. num. berol. p. 61 n. 96 et Friedlaender *archaeol. zeit.* 1873 uol. XXX p. 102 uel *zeitschr. f. numism.* I p. 299. una

nices et eos quorum illi exemplaria sequebantur, id ipsum officium Herculi tribuisse, ut leonem compesceret? temperi offertur nummus argenteus et ipse phoenicius (tab. n. 6), in cuius antica Hercules coryto pone nates conspicuo sinistra praetensa leonem de cauda suspensum tenet, dextra leuata clauam iactat leonem percussurus: cui typo mirum quantum similis est scarabaei uolcentini sculptura [1]. Tarsenses cum Herculem cum leone nemeaeo luctantem substituerent [2], satis aperte significarunt quo modo cerui uel bouis a leone laniati notam intellegi ac suppleri uellent. Sed Babylonii et Assyrii, unde uidimus eam imaginem ad Phoenices et occidentales populos manasse, illud quoque praeiuerant ut deum uindicem leoni immitterent. non pauca iam Radulphus Rochettius [3] composuit monumenta minora orientalia, in quibus deus quidam siue alatus siue radiata corona insignis duos leones caudis suspensas tenet aut leonem erectum faucibus praestrictis gladio percussurus est. praestat igitur paucissima de eis delibare, quae Layardi maxime merito debemus ex Nini solo uetusto protracta. in superiore parte uestis regiae [4] daemonem conspicimus barbatum cornutum quattuor alis instructum, qui utraque manu, dextra leaenae, sinistra leonis pedem posteriorem tenet; utraque fera obuenientem bouem pede anteriore prehensum laniare coepit: haec etsi apparet ut in ornamento uestis paullo liberius tractata esse, necessario tamen sic statuemus, fontem eius ornatus anaglypha fuisse, in quibus solito illi leonis in bouem conatui daemon salutifer interueniret. nostro igitur

---

eademque nummorum parte illa scaena integra posteriore tempore non raro repraesentata est cf. Eckhel doctr. num. uet. II p. 241 mus. Hunteri t. 20, XXIV.

1) *impronte dell' inst.* cent. I n. 16 Raoul-Rochette, *archéol. comp.* t. II 9 cf. p. 109 sq.

2) de Luynes, *num. des satr.* t. XI, *Tarse, auton. gr.* (inscribitur ΤΕΡΣΙΚΟΝ), cf. p. 61 sq. Brandis. p. 349.

3) *archéol. comp.* t. VI 3. 5. 6. 9. 10 (quibus necessario ea comparantur, ubi daemon ille inter duas feras medius stans siue perdomat illos siue mansuefacit: leones ib. 14, gryphes ib. 16. VII 11 14 sq.); leonem erectum iugulat t. VII 1. 5. 6. cf. idem p. 113 sqq. Nonnulla protulit Lajard *culte de Vénus* t. I 2—4. Addas cylindrum eburneum caeretanum, quo etruscae artis cum assyria necessitudo egregie illustratur (mus. etr. gregor. II t. CVI 9. 10): uir tunicatus duos leones erectos, qui pedes illius umeris imponunt, mansuefacit.

4) Layard, *monum.* I t. 9. Similis est Ebraeorum fabula de Daniele Sam. I 17, 34 sq., repraesentata in musiuo coloniensi (E. aus'm Weerth, *der mosaikboden in s. Gereon. z. Cöln* t. II 9).

iure utemur, cum ad hanc integram imaginem cum symplegmata illa, tum leones binos aut gryphes a deo domitos, denique ingulatum ab eodem leonem[1] referemus. Quoniam uero reges in oriente tamquam uicarii dei habebantur, illa quoque consentaneum erat quae de deo salutifero credebantur, ad reges transferri. qua re factum est ut in leonum uenatione, quae saepe in illis anaglyphis repraesentatur, rex eodem modo quo deus erectum leonem summis capillis sinistra manu prehensis dextera iugulans fingeretur[2]. id quod Persarum regibus adeo probatum est, ut ad ipsos quoque transferri neque raro nummis incudi iuberent[3]. Sed Phoenices et ab eis qui pendent deum illum assyrium Herculem fecerunt. de Etruscis documento esto lamina aenea perusina, in qua exemplari uetusto paene non mutato Hercules exuuiis leonis distinctus, gladio armatus manu sinistra duos leones tenet funibus ligatos[4]. de Graecis inter omnes constat uidererque pueros docere uolle, si decantatum illud et arte totiens expressum herois cum leone nemeaeo certamen ab origine sua deducerem.

Itaque cum illo cerui a leone laniati signo Herculis figuram pugnare gestientis quasi una imagine coniungendam esse uiri rerum orientalium periti uix negauerint: de ratione et significatione imaginis tanta est dissensio, ut pigeat singulas sententias recensere omnes ac refutare. quid quod plerique Herculem obliuiscuntur, dum in certamine leonis et tauri uel cerui explicando haerent[5], praeter unum Rad. Rochettium, qui ab Hercule deo solari

---

1) ibid. I t. 8. II 69, 2. ad alterum genus pertinet daemon leaenas duas alatas (sphingas) tenens ib. I t. 6.

2) ibid. I t. 49 V. Place t. 62, 1. cf. supra p. 27, 3. Leonum uenationes uide ap. Lay. I t. 10. 81 II t. 64. 68 Place t. 50 sqq.

3) indicem exhibet Brandisius p. 424 sqq. cf. p. 230 sq., specimina suppeditabit Raoul-Roch. l. s. t. II 10—12. Tarsenses quoque nummi extant eodem signo notati, de Luynes, *num. des satr.* t. V *Bag.* 2 cf. Brandisius p. 429, alter eo quoque nomine memorabilis, quod in postica perinde atque nummus Hercule insignis (tab. nostr. n. 6) uaccam lactantem exhibet.

4) ed. Micali *storia* t. XXVIII 3.

5) Fuere qui, quoniam talia in nummis sub Persarum imperio cusis conspiciuntur, ex Persarum opinionibus interpretarentur, quasi usquam ei nummis aut signa aut litteras imposuissent, nisi quae ibidem usu ualerent: Lassenus (in encyclopaedia halensi sect. III uol. XVII p. 362) Ahrimanem leonem cum Ahuramazda tauro decertare, Blauius 'leonem siue gryphum taurum ceruumue deuoran-

summum malum oppugnari statuit, definitione tam late patente ut in diuinum quidque cadat. Poterat sacelli assyrii anaglyphon has tenebras dimouere [1], medius ubi erigitur gryps rictu oris letum appropinquantibus minitans, eum insectatur a dextra deus barbatus, quattuor alis praeditus, utraque manu fulmen trisulcum tenens, dextera illud contra bestiam immanem iaculans; pendet ei de umero balteus cum gladio, ex dextro brachio harpa [2] apta est; in sinistra parte uir adstat barbatus (rex), dextra leuata tamquam obsecrans, sinistra ramum cum tribus floribus tenens: facile uideas Iouem aliquem fulguratorem [3] cum leone fabuloso inire pugnam. Sed nolo ego eis monumentis, quibus litterarum lux nondum affunditur, illustrare obscura, neque uero id nunc curo quae pristina fuerit et primitiua imaginum illarum ratio et sensus, sed acquiescendum duco si patefactum fuerit, quid, signa illa dum oculis usurpant, sensissent Phoenices.

## III

Ad Homerum redeo. qui ut monumentis illis inlustratur, sic uicissim eis intellegendis proderit. Videamus, egregiam similitudinem quo modo rei narrandae poeta adhibeat:

---

tem significare Persarum regem in prouincias subactas dominantem' (de numis Achaemenidarum Lips. 1855 p. 9). Lajardi ima summis miscentis dissertationem nondum potui a me impetrare ut perlegerem, hoc unum uideo, eum ad siderum rationes haec referre (*culte de Vénus* p. 191 sq.), itemque ducem de Luynes *num. des satr.* p. 30. nec magis sana sunt quae de Vogüé extricauit *journ. asiat.* 1867 ser. VI uol. X p. 147 sq. (*mél. de philol. or.* p. 63 sq.). Raoul-Roch. dixit ea de re l. s. p. 99 sqq.

1) edidit Layard, *monum.* II t. 5. de gryphis forma dixi p. 7, 2.

2) harpa maximi momenti est. perinde Ioui cum bipenni harpam tribuit nummus aereus tarsensis (Mionnet, *descr.* III p. 621 n. 400); in Hadriani aureo item tarsensi aquila, ut sexcentiens alibi supra Iouis fulmen, sic illic supra harpam conspicitur (Mionn. l. s. p. 625 n. 423). hinc intellegitur qui Perseum urbis suae conditorem Tarsenses dixerint, quem posteriore aetate etiam nummis adhibuerunt harpa instructum (Mionn. l. s. p. 623 n. 417. 640 n. 510. 644 n. 534 *supplém.* VII p. 286 n. 529. 289 n. 539). — Ad eandem leonis significationem nonnulla ex eis quoque, quae A. de Gubernatis uir subtilis iudicii nuper de populorum aricae stirpis fabulis scite conposuit (*zoological mythol.* II p. 153 sqq. uers. uern. p. 458 sqq.), referri debent.

3) Assyriorum Iuppiter fulgurator prodit etiam ap. Lay. I t. 65 Place t. 45.

Αἴας δ' ἐγγύθεν ἦλθε φέρων σάκος ἠύτε πύργον,
στῆ δὲ παρέξ· Τρῶες δὲ διέτρεσαν ἄλλυδις ἄλλος.
ἤ τοι τὸν Μενέλαος ἀρήιος ἔξαγ' ὁμίλου
χειρὸς ἔχων, εἵως θεράπων σχεδὸν ἤλασεν ἵππους.

itane uero? Aiaxne commilitoni dum salutem fert, tamquam leo oborietur? an omnem similitudinem eo tantum arcessitam dicemus, ut fuga Troianorum illustraretur? quod si cum scholiis ueteribus[1] urgeamus cerui et Vlixis similitudinem, multo etiam magis tolerari nequit quod in eo quod summum est et grauissimum, res et simile adeo inter se discrepant. Quid Aiax?

Αἴας δὲ Τρώεσσιν ἐπάλμενος εἷλε Δόρυκλον
Πριαμίδην νόθον υἱόν· ἔπειτα δὲ Πάνδοκον οὖτα,
οὖτα δὲ Λύσανδρον καὶ Πύρασον ἠδὲ Πυλάρτην.

facinora Aiacis Troas propellentis enarrantur: interficit Priami filium spurium, dein quattuor uiros dicitur uulnerasse tantum. exspectes additum, illis uiris quid factum sit, utrum effugere ualuerint an ab amicis hosti erepti an ab Aiace instante penitus uita et armis exuti sint. fallitur exspectatio. splendida enim comparatione interiecta ad noua ac diuersa abripimur.

Sed operae pretium est quattuor illos uiros accuratius intueri, siquidem certa spes est fore ut agnoscamus. namque haud scio an quidquam sit in Iliade praeclarius obseruatum quam illud ab Adolpho Emperio[2], latere sub his Troum nominibus quattuor Ditis epitheta. Pandocus enim aeque atque Πανδοκεύς Πολυδέκτης Πολυδέγμων Πολύξενος[3] Orcus uocatur, qui omnes morta-

---

1) schol. *ABL* ad u. 475 *ἔστι δὲ ἡ παραβολὴ μερικὴ πρός τε τὴν πληγὴν καὶ τὸ πλῆθος τῶν βαρβάρων καὶ τὴν ἀπουσίαν τοῦ βαλόντος· καὶ ὥσπερ θῶας ἀπελαύνει λέων ἐπιφανείς, οὕτως Αἴας τοὺς Τρῶας.*

2) musei rhenani noui uol. I p. 447 sq., in Emperii opusculis philol. et hist. p. 147. mirum quod in hac sola uir sagacissimus obseruatione acquieuit nec praecedentia excussit. Breuiter moneo, quod argumentis probari hic locus uetat, etiam *Π* 695 sq. inter Troianos a Patroclo occisos quattuor nomina iuxta poni, quae in deum inferum cadant *καὶ Μελάνιππον, αὐτὰρ ἔπειτ' Ἔλασον καὶ Μούλιον ἠδὲ Πυλάρτην.*

3) *πρόπαντας Ἅιδης Πανδοκεὺς ἀγρεύσεται* Lycophro 655, *Πολυδέκτῃ* hymn. Cereris 9 *ἄναξ Πολυδέγμων* ib. 17 *κρατερὸς Πολυδέγμων* 404 *ἄναξ κρατερὸς Πολυδέγμων* 430, *τὸν γάιον, τὸν πολυξενώτατον Ζῆνα τῶν κεκμηκότων* Aeschylus suppl. 156, cf. idem sept. 856 sq. de Charontis nauigio *ὃς αἰὲν δι' Ἀχέροντ' ἀμείβεται τὰν ναύστολον μελάγκροκον θεωρίδα, τὰν ἀστιβῆ 'πόλ-*

les tamquam hospes domo sua recipiat; idemque quia quotquot recepit, omnes adamantinis aeneisue portis suis cohercet, Pylartes ab ipso Homero identidem nuncupatur[1]. duo illa nomina quae media leguntur, nouata licet uideantur esse, uix sunt. Lysandrum enim deum, qui mortalium artus uiresque soluat, uocatum aliquando esse fidem facit nomen in hominibus usitatum, atque in Samiorum religione id nomen obtinuisse spero me alias probaturum esse. relinquitur unus Pyrasus: qui, ut probabiliter Emperius ait, mortua corpora rogo imponit. satis enim ut in uocabulo trium syllabarum breuium excusatur producta radicis uocalis.

Quae cum ita sint, uel lippienti apparebit quid euenerit. quattuor Hades epithetis in antiquo illo carmine significatus erat: quod cum posteriore aetate rhapsodi quorum ore haec carmina uiuebant iam non intellegerent, quid relinquebatur quam ut ad suum illi sensum uersus mutarent et pro uno Hade quattuor Troianos ponerent? simul patefacta est uerbi *οὖτα* ratio: Doryclum inter ceteros Troianos refugientem occidere telo Aiax potuit, non potuit deum; itaque uulneratum Ditem heros efficit ut proelio decedat, sicut Martem Veneremque Diomedes. Multo tamen latius egregia Emperii obseruatio patet et clarissima luce totius loci tenebras discutit. nam herois uel fortissimi cum terribili deo Orco pugnam quis poeta tam leuiter, ne dicam temere tetigerit, ut nil nisi uulneratum deum indicaret? immo quattuor illa epitheta apparet non in eodem enuntiato potuisse a poeta cumulari; per longiorem ea narrationem dispersa erant, unde quasi diuersorum nomina essent, posterior rhapsodus contraxit. sic factum ut narratione illa prorsus oblitterata rerum ordo in his ipsis uersibus tam male interrumpatur.

---

*λωνι, τὰν ἀνάλιον, πάνδοχον εἰς ἀφανῆ τε χέρσον.* Vid. Cornutus de dis c. 35 ibique Osannus p. 212, Prellerus myth. gr. 1, 626.

1) *Θ* 367 *εἰς Ἀίδαο πυλάρταο*, *N* 415 *εἰς Ἄιδός περ ἰόντα πυλάρταο κρατεροῖο*, *λ* 277 *ἡ δ' ἔβη εἰς Ἀίδαο πυλάρταο κρατεροῖο*; Moschus id. 4, 86 *πυλάρταο σχεδὸν ἤγαγεν Ἀιδονῆος.* Audias Achillem Tatium VI 13 *ὃν οὕτω φιλοῦσιν οἱ θεοί, ὡς ἂν αὐτὸν καὶ ἐκ μέσων τῶν τοῦ θανάτου πυλῶν ἀναγαγεῖν*; de portae firmitate dial. socrat. Axiochi p. 371^b *τὰ δὲ πρόπυλα τῆς εἰς Πλούτωνος ὁδοῦ σιδηροῖς κλείθροις καὶ κλεισὶν ὠχύρωται*, sed ne *γλαῦκ' Ἀθήναζε.* cf. Cornutus l. s. et ad eum Osannus p. 386.

Vulgatissima olim fuit de Orco depugnato fabula, quam tamen Graeci nescio qua inducti ratione spernere tamquam anilem mature coeperunt. Nemo sane Herculem nescit cum Morte luctantem et cogentem id numen, ut Alcestidem praedam mittat: hoc ut magis peruulgaretur, forsitan Euripides solus auctor fuerit[1]. sed pro tanta fabularum copia ac uarietate profecto illius fabulae tenuissima uestigia eaque perpauca apud Graecos feruntur. adest eius quaedam in Iliade memoria *E* 395

*τλῆ δ' Ἀΐδης ἐν τοῖσι πελώριος ὠκὺν ὀιστόν,*
*εὖτέ μιν ὡὐτὸς ἀνήρ, υἱὸς Διὸς αἰγιόχοιο,*
*ἐν Πύλῳ[2] ἐν νεκύεσσι βαλὼν ὀδύνῃσιν ἔδωκεν,*

cuius facinoris herculei alibi nec uola nec uestigium. certius de Sisypho constat, quem ferebant Mortem sibi imminentem in tenacissima uincla coniecisse: uel hoc tamen ab uno Pherecyde traditum est[3]. quod si perpenderimus, etiam minus mirabimur, quod is de quo agimus locus adeo adulteratus est.

Iam uero si antecedentia spectauerimus, etiam plus lucri faciemus. uidimus quam claudicet illud simile. ferae minores fugatae a leone ceruum ipso occupante, nisi a poeta sunt inepte additae, flagitant ut Troianis disiectis maior quidam nec euitabilis hostis succedat manus praedae certae iniciens. hic qui fuerit, etiam dubitas? au alium fuisse censebis quam illum, quem Aiax postquam adcucurrit, prae ceteris aggressus ancipiti pugna tandem uulneratum depellit? Effecisse hoc mihi uideor, ut plane intellegatur non solum quo modo turbatus sit et contaminatus hic locus, sed etiam quae primitus

---

1) Eur. Alc. 855 sqq. Kirchh. De Phrynichi fabula non liquet neque ea in hominum elegantiorum manibus haesit. sed de illa re alii aliter ferebant, Apollod. I 9, 15 *καὶ αὐτὴν πάλιν ἀνέπεμψεν ἡ Κόρη· ὡς δὲ ἔνιοι λέγουσιν, Ἡρακλῆς μαχεσάμενος Ἅιδῃ* (animaduertas discrepantiam a fabula euripidia), Hygin. f. 51 'quam postea Hercules ab inferis reuocauit'.

2) certum loci nomen fabula sibi postulat, itaque frustra sunt, qui ut hanc memoriam cum notissimo Herculis ad inferos descensu concilient, *ἐν πύλῳ* scribunt. *Πύλον* Graeci urbem in occidentali Peloponnesi ora sitam uocauere, tamquam aditum ad inferos, cum montem Asiae orientalem, deorum sedem *Σίπυλον* hoc est ad deos aditum dicerent. prior enim huius nominis pars eadem est atque uocabuli *Σίβυλλα* h. e. *θεοῦ βουλή* (siue mauis aeolice *βόλλα*), quae origo ueteres non latuit cf. Hieron. adu. Iouin. I 41 uol. II p. 306 Vallarsii.

3) ap. schol. *A D* Iliad. *Z* 153 (FHG 1, 91 fr. 78) cf. Welckerus opuscul. V p. 47 sq. De fabulis germanicis cf. I. Grimmius *deutsche myth.* p. 814.

fuerint a poeta narrata. Vt lupi ceruarii ceruum conlapsum laniantes a leone fugantur, sic Troiani Vlixem profligare ac spoliare gestientes diffugiunt, cum ipsum Orcum uideant accedere. igitur Orcus praedam suam occupaturus et secum abducturus erat, nisi Aiax salutem sodali tulisset deo repulso.

Tandem igitur leo inuenit quocum apte comparetur, Orcum. quam comparationem non felici quadam inuentione poetae ortam sed ex sacrorum simulacris et opinionibus ipsius uulgi petitam esse, si monumenta supra perlustrata memineris, facile concedes. quamquam Graecia qualem quidem litterae produnt, prorsus ignara eius est rei siue oblita fuit, ut hinc doceri frustra cuperemus. qua re adeundus est is fons, unde omnem illam monumentorum uarietatem ad Graecos Etruscosque manasse uidimus. neque spes falletur.

Phoenices enim eorumque cognati Cyprii et Cilices quid senserint quotiens leonis ceruum bouemue laniantis imaginem uiderent, luculenter docemur Antipatri Ascalonitae cuiusdam monumento sepulcrali[1] anno h. saec. LXI Athenis in Ceramico prope ecclesiam s. trinitatis inuento: quod tertio fere ante Chr. saeculo potuisse poni neque secundo recentius esse litterarum forma monet. in ea columna infra titulum duplicem et phoenicium et graecum hunce

'Αντίπατρος 'Αφροδισίου 'Ασκαλ[ωνίτης]
Δομσαλὼς Δομανῶ Σιδώνιος ἀνέθηκεν

anaglyphon sculptum est insolito potius argumento quam lapicidae labore insigne[2]. in lecto funebri uir mortuus extenditur, ad eiusque caput leo se

1) titulos ediderunt tractaueruntque Henzenus, Rhusopulus, C. Wachsmuthius, Gildemeister *ann. dell' inst.* 1861 uol. XXXIII p. 321 sqq. F. Lenormant, *monographie sur la voie sacrée éleusinienne* uol. I p. 120 sqq. Levy *phoeniz. studien* III p. 17 sq. R. Kekulé, *ant. bildw. im Theseion* n. 57 p. 27 sq. Cumanudes in inscriptionibus sepulcr. athen. n. 1607 p. 198 E. H. Palmer et I. E. Sandys, *journal of philology* (Cantabr. 1872) uol. IV p. 48 sqq. (de quorum sententiis Aem. Huebner rettulit *archaeol. zeit.* 1872 uol. XXX p. 47). Uti mihi praeterea licuit ectypo chartaceo quod olim Kekuleius amicus dono dederat, et G. Kaibelii nostri apographo.

2) descripserunt P. Pervanoglu, *bullett. dell' inst.* 1861 p. 140 idemque, *die grabsteine der alten Griechen* (Lips. 1863) p. 72 sq. Lenormant l. s. p. 127, omnium accuratissime Kekulé l. s. Vtinam Huebnero, cum Michaelem ineditum adhuc id monumentum aegre ferentem carperet, placuisset uel breuissime indicare, ubinam editum sciret. nihil enim aeque dolui quam quod illud

erigit quasi illum capturus, ad pedes adstat iuuenis nudus homine maior, qui sinistra praetensa et prono corpore obnisus, dextra incertum quid teli uibrans depellere leonem conatur. pone lectum prora nauis conspicitur. Quae ut intellegantur, hoc epigramma infra scriptum est, quod, quoniam non pauca insunt dubia, adponam quale in monumento legitur secundum testes oculatissimos:

ΜΗΘΕΙΣΑΝ ΟΡΟΓΩΝΘΑΥΜΑΞΕΤΩΕΙΚΟΝΑΤΗΝΔΕ
ΩΣΓΕΡΙΜΕΝ ΜΕΛΕΩΝΓΕΡΙΔΕΓΓΡΩΙΡΙΓΚΤΕΤΑΝΥΣΤΑΙ
ΗΛΘΕΓΑΡΕΙΧΘΡΟΛΕΩΝΤΑΜΑΘΕΛΩΝΣΠΟΡΑΣΑΙ
ΑΛΛΑΦΙΛΟΙΤΗΜΥΝΑΝΚΑΙΜΟΥΚΤΕΡΙΣΑΝΤΑΦΟΝΟΥΤΕΙ
ΟΥΣΕΘΕΛΟΝΦΙΛΕΩΝΙΕΡΑΣΑΓΟΝΗΟΣΙΟΝΤΕΣ
ΦΟΙΝΙΚΗΝΔΕΛΙΓΟΝΤΕΙΔΕΧΘΟΝΙΣΩΜΑΚΕΚΡΥΝΜΑΙ

hoc est, ut transcribam eis tantum correctis quae lapicida peccasse uidetur

*Μηθεὶς ἀνθρώπων θαυμαζέτω εἰκόνα τήνδε,*
*ὡς περὶ μέν με λέων, πέρι δὲ πρῶιρ' ἰγκτετάνυσται.*
*ἦλθε γὰρ εἰχθρολέων τάμὰ θέλων σποράσαι·*
*ἀλλὰ φίλοι τ' ἤμυναν καί μου κτέρισαν τάφον οὗτεῖ,*
*οὓς ἔθελον φιλέων, ἱερᾶς ἀπὸ νηὸς ἰόντες.*
*Φοινίκην δὲ λιπὼν τῇιδε χθονὶ σῶμα κέκρυμμαι.*

2 ΔΕΓΓΡΩΙΡΙΓΚΤΕΤΑΝΥΣΤΑΙ: *δὲ πρῴρ' ἐκτετάνυσται* Rhusopulus ad sensum rectissime, *δ' ἡ πρῴρη 'κτετάνυσται* Wachsmuthius *δ' αὖ πρῷρ' ἐκτετ.* Sandys. articulum addi non probabile, itaque Γ litteram lapicidae imputo. non mutandum censui *ἰγκ-* pro eo quod est *ἐκ*, cum ante duplicem consonantem littera nasalis praua plebi pronuntiatione gigni facile potuerit. qua ratione etiam in u. 3 *εἰχθρολέων* diphthongum ortam existimo, cf. I. Schmidt, ***zur gesch. des indog. vocalismus*** I p. 122 sq. 3 *ἐχθρολέων ταλαόν με θέλων σίνεσθαι* Sandys, *ἐχθρ., ἐλιλαίετο δ' ὀστέα ῥάξαι* van Sittart apud Sand. p. 53: qui cur pentametrum plebeio more hexametris intermixtum non patiantur, caussam non perspicio; necenim illos tot titulorum graecorum exempla latere potuerunt *σποράσαι* barbare dictum pro *σπαράξαι* intellexit Wachsmuthius 4 *φίλος τ' ἤμυνε καὶ ἐκτέρισαν τάφον οὗτοι* Sandys. non nostrum est docere barbarum, quo modo debuerit sententiam numeris graecis intendere Γ pro Τ Kaibelius testatur, in ectypo Kekulei Τ satis certo apparet ΟΥΤΕΙ: ΗΙ h. e. ΕΙ an Η lapis exhibeat, non satis liquet, Η mihi ectypon inspicienti non probabile uidetur. *οὗτη* pro *ταύτῃ* dictum uult Wachsmuthius, *οὗτοι* Rhusopulos: mihi

---

anaglyphon non licuit aut ipsi uidere aut legentibus ante oculos ponere. sed partem doloris Michaelis meus leuauit et multum me iuuit, qui cum praesto ei esset anaglyphon photographa arte licet minus bene expressum, saltem summa lineamenta sua manu imitatus mihi inspicienda misit: quibus debeo si quid in his a Kekulei descriptione discrepat.

*οὐτεῖ* ad similitudinem dorici *τουτεῖ* et *αὐτεῖ* male dictum uidetur 5 *φιλέων* molestius dixit 'quos pro meo erga eos amore maxime uolebam' 6 *δὲ λιπὼν* Wachsmuthius: *δὲ λιπὸν* seruat Lenormant tamquam barbarus ad *σῶμα* rettulisset *δ' ἔλιπον* Kekulé.

Audacter sane factum a uiro bono Sidonio, quod qui loqui graece parum sciret, uersus pangere graecos uoluit; neque mirum, ausis quod excidit. etenim obscura anaglyphi tam non aperuit, ut aenigmata noua uideatur addidisse. Quae tandem leonis in Antipatri morte fuere partes? num forte post Alexandri magni aetatem renatum dicemus in Attica leonum genus? non defuit qui sic censeret[1]. cautius Henzenus, uideri potius in alia illum terra a leone absumptum. at quo modo qui in Asia esset aut in Africa necatus, potuit Athenis humari? eodem loco et mortuum et sepultum esse titulus clamat. quid igitur uero similius quam leonem aliquem, qui a circulatore monstrari curiosis soleret, e cauea sua elapsum in Antipatri cadauer impetum fecisse? Scite hoc a Lenormantio coniectatum esse Sandys non negat, uerum esse et necessarium sibi non persuasit. quid enim? locum mortis in epigrammate nusquam memorari. nil igitur obstare quominus eum iter ex patria in Graeciam facientem sumamus in Lyciae aut Cariae ora interfectum. certo enim constare, etiam Ciceronis aetate illic, non in ora maritima, sed in terrae interioris Cibyratidos montibus tales bestias, non leones sed tamen pantheras captas esse. Habes sagacitatis specimina digna profecto eorum plausu, qui libros sacros rationaliter interpretari sibi uidentur.

De leone actum ita putabam a Welckero[2], ut uerbum addere paene indignum uideretur ueneratione tanto uiro debita. nempe nesciebam futurum esse qui Acanthiorum signum monetale a leonum in illa regione frequentia repeteret. fecit hoc cum Pindero Salletus[3] et mythologorum commenta ab artis antiquae ingenio atque natura abhorrere fortiter affirmauit. pace uiri prudentissimi dixerim res esse nimium diuersas priscorum symbolorum significationem illam, mythologi quam quaerunt, et artificum sensum ingeniumque. tam enim artifex quam poeta solum quid pulcrum sit et aptum, curat neque scientiae arcana operibus suis condit aut abdit; uterque uero figuras perso-

1) Rhusopulus l. s. p. 323. ad reliqua cf. Lenormant p. 131 sq. Sandys p. 51.
2) *kleine schriften* II p. 199 sq. 3) *zeitschrift für numismatik* I p. 167.

nasque, quas uita induit, non nouas de nihilo creat, sed ab antiquitate acceptas secundum suorum temporum sensus ac studia instaurare et mutare solet. qui quo longius remotus est ab illorum aetate qui primi illas formas fabulasque in medio posuere, eo minus earum pondere pristino impeditus liberius eas poterit ad pulcri normam exigere. sic quae Salletus de artificum consiliis uerissime dixit, eis contrarium probauit. nam quod circa Acanthum multos leones esse et feros boues Herodotus tradit VII 126, manifesto fabulam sequitur ex ipso illo nummorum signo ortam. de Graeciae autem leonibus poeta bucolicus circumspecte iudicauit, cum de portento nemeaeo ait (Theocr. XXV 183)

*οὐ μὲν γάρ κε τοσόνδε κατ' Ἀπίδα κνώδαλον εὕροις*
*ἱμείρων ἰδέειν, ἐπεὶ οὐ μάλα τηλίκα βόσκει,*
*ἀλλ' ἄρκτους τε σύας τε λύκων τ' ὀλοφώιον ἔθνος.*

scilicet ante Alexandri aetatem Graecia uix nouit leonem nisi fabulosum, quem ex eodem fonte quo sphingum gryphumque figmenta repetiit.

Satis superque dixi de aliorum interpretamentis, inspiciamus lapidem ipsi. Leo igitur, ut in anaglypho uidemus, Antipatrum non uita priuauit, sed mortuum aggressus est, eamque feram, id quod uersus ascripti testantur, amicus opem Antipatro ferens feliciter a lecto funebri depulit. Quaeritur qui fuerit amicus ille uel amici. uenisse eos de sacra naui, cuius in anaglypho prora cernitur, Domsalos docet. sed. de hac ipsa quid statuemus? reliqui interpretes tacent, Sandys ex usu uetustissimo uocis *ἱερός*, cuius quaedam apud Homerum sunt uestigia, explicandum ratus non sacram sed magnam nauem dici statuit. esto, cur enim Domsalos negotiator non Alexandriae olim studiis homericis uacauerit? At is quem anaglyphon cum leone luctantem repraesentat, in hominum profecto non erit numero. prodit enim et nudus et, ut minimum dicam, altero tanto quam homo maior [1]. Deum igitur aut genium illum esse exploratum est. Qua re quod interpretaturis longe grauissimum est, patefit, fata Antipatri ab hoc, si fas est dicere, poeta sic exprimi, ut opiniones religiosae et ipsa facta paulo obscurius confundantur. Populos orientales constat et olim et nunc nil magis anxie cauere quam ut

1) de modo et mensura corporum Michaelis mei officio certior sum factus.

mortui patrio more sepeliantur[1]. quod si cui euenerit ut legitimo funere careat, credunt fore ut in horrenda tartari loca[2] abripiatur. hoc malum Antipatro longe a patria defuncto imminebat, nisi populares eique amicissimi adfuissent, qui illi inferias rite darent. factum est ita. at opinionem religiosam et figmentum imago anaglyphi prodit: daemon enim salutifer leonem illi infestum a lecto funebri propellit. ain manifestum esse, haec imago quid sibi uelit? uidelicet bestiam infernam arripere defunctum, ut in gehennam asportet, obstare genium bonum, qui ut uincere leonem possit, funus ab amicis rite curatum efficit. sic amicorum et genii boni officia potuerunt quasi commisceri. Veterem ex his persuasionem emergere uides. nam non solum Herculem aut Sisyphum Mortem perdomuisse ferebant, sed de uno quoque, qui quidem pius ac iustus uixisset, moribundo pugnam credebant inter Orcum et caelestem daemonem oriri. Homini animam agenti dicebant Mortem ad caput adsistere[3]. ibidem Orcus quoque aut eius satellites adsistere student, ut animam ore exeuntem arripiant et auferant. quodsi genius bonus ad caput adstiterit, id signum est, uictum ab hoc et repulsum esse daemonem malum. sic, nisi quod diaboli et angeli pugnam statuunt, Germani et olim omnes et nunc Palatini superiores Francique memorant[4]. indidem repeto quod in Iliade Achilles, dum Patrocli cadauer ad funus portatur, mortui caput tenet ut amicissimus et beneuolentissimus, quem morem apud Lindios ualuisse traditur[5].

---

1) ex bybliis nubem exemplorum corrasit F. Boettcher, de inferis I p. 38.

2) de tartaro (*sch$^e$ol*, postea *g$^e$hinnom*, *Γέεννα*) cf. Boettcher l. s. p. 64 sqq. Vid. Philo de execrationibus 6 p. 934 *ὁ δ' ... ὑποσυρήσεται κατωτάτω πρὸς αὐτὸν τάρταρον καὶ βαθὺ σκότος ἐνεχθείς*, ubi sedes in caelo, piae uitae merces opponitur, ut a Iosepho antiqu. XVIII 1, 3 al.

3) Lucretius III 959 *et nec opinanti mors ad caput adstitit ante, quam satur ac plenus possis discedere rerum.*

4) cf. I. Grimmius *myth. germ.* p. 796 sq. Add. F. Schönwerth, *aus der Oberpfalz* I p. 243: *ein goldenes sonntagskind sieht beim sterben* [sc. alio quodam moriente] *den kampf des engels und des teufels um die seele. behauptet der engel seinen platz zu haupten, so steht es gut um die seele. während dieses kampfes rollt dem sterbenden der angstschweiss in grossen tropfen von der stirne.* similem eis qui die dominica nati sint Franci uim tribuunt, cf. A. Wuttke, *der deutsche volksaberglaube* (ed. II) p. 429: *sie sehen den tod am kopfende sitzen als sicheres todeszeichen.*

5) Ψ 136 *ὄπιθεν δὲ κάρη ἔχε δῖος Ἀχιλλεὺς ἀχνύμενος· ἕταρον γὰρ ἀμύμονα πέμπ' Ἄιδόσδε,*

Quae si recte disputata sunt, leonem oportet a populis stirpis semiticae pro ipso inferni daemone esse habitum, qui de defunctis cum geniis bonis seruare animas pias et ad caelum euehere nitentibus certare soleat. id quod Hebraeorum libris sacris plane confirmatur. sic enim psalmodus ait: *domine deus meus, in te speraui. saluum me fac ex omnibus persequentibus me et libera me, ne quando rapiat ut leo animam meam, dum non est qui redimat neque qui saluum faciat*[1]. quibus uerbis periculo a leone imminenti redemptio salusque opponitur. neque minus in eandem sententiam accipiendae psalmodi preces haece *erue a framea deus animam meam, et de manu canis unicam meam. salua me ex ore leonis et a cornibus unicornium humilitatem meam.* et quoniam deum inferni atque Satanam uel diabolum e Persarum religione petitum tantum non eundem habuere, leonis similitudo ad diabolum quoque translata est, ut *sobrii estote, uigilate, quia aduersarius uester diabolus tamquam leo rugiens circuit quaerens quem deuoret*[2]. quod si quis in his et similibus etiam nunc dubitet plus quam facilem ac fortuitam comparationem factam concedere, alius locus dubitationem tollet. epistulae ad Ebraeos scriptor inter alia beneficia, quae patribus suis piis et prophetis populus debeat, hoc quoque memorat *obturauerunt ora leonum*[3], h. e. pietate sua impetus diaboli populo electo inhiantis compescuerunt. hinc usque ad saeculum litterarum renascentium Christiani Satanam illum inferni regem leonis forma induere soliti sunt. In

---

cum schol. *V ἔθος φησὶ* (quis?) *παρὰ Λινδίοις τοῦτο.* fortasse hinc poeta etiam Hectorem fecit ut amicum Cebrionis interfecti caput tenere, Patroclum hostem pedes arripere *Π* 762 sq.

1) psalmi VII initio: *Κύριε ὁ θεός μου, ἐπὶ σοὶ ἤλπισα· σῶσόν με ἐκ πάντων τῶν διωκόντων με καὶ ῥῦσαί με, μή ποτε ἁρπάσῃ ὡς λέων τὴν ψυχήν μου, μὴ ὄντος λυτρουμένου μηδὲ σῴζοντος.* XXI 21 *ῥῦσαι ἀπὸ ῥομφαίας τὴν ψυχήν μου καὶ ἐκ χειρὸς κυνὸς τὴν μονογενῆ μου. σῶσόν με ἐκ στόματος λέοντος, καὶ ἀπὸ κεράτων μονοκερώτων τὴν ταπείνωσίν μου.*

2) ep. Petri I 5, 8 *νήψατε, γρηγορήσατε· ὁ ἀντίδικος ὑμῶν διάβολος ὡς λέων ὠρυόμενος περιπατεῖ ζητῶν τινα καταπιεῖν.*

3) c. XI 32 sq. *καὶ τί ἔτι λέγω; ἐπιλείψει γάρ με διηγούμενον ὁ χρόνος περὶ Γεδεὼν Βαρὰκ Σαμψὼν Ἰεφθάε Δαυείδ τε καὶ Σαμουὴλ καὶ τῶν προφητῶν, οἳ διὰ πίστεως κατηγωνίσαντο βασιλείας, εἰργάσαντο δικαιοσύνην, ἐπέτυχον ἐπαγγελιῶν, ἔφραξαν στόματα λεόντων, ἔσβεσαν δύναμιν πυρός, ἔφυγον στόματα μαχαίρης κτλ.* haec etsi possis ad singulos singula referre, uelut leones domitos ad Danielem (cf. supra p. 27, 4) et Sampsonem, tamen manifestum est generatim dicta esse.

Fionia Danorum insula cippus sepulcralis saeculi XI inuentus est, in quo leo hominem, cuius etiam caput cernitur, deuorat[1]. atque hoc figmentum sexcentiens ecclesiarum ornamentis adhibitum est[2]. etiam Bernardus Orcagna cum Florentiae in ecclesia s. Mariae nouella infernum[3] depingeret, in inferiore parietis parte medium Satanam posuit immani leonis capite instructum, cui animarum deuoratarum pedes ex ore pendent. Orcus igitur quotquot animas recipit, tamquam leo deuorare et uasto uentre condere creditus est. A qua opinione ne Graeci quidem praesertim asiani omnino abhorruerunt. an diuersum est, cum Diana, quam mulieribus mortem sagittis suis mittere ferebant, leo feminis esse dicitur a Iunone illam increpante Φ 483

*ἐπεί σε λέοντα γυναιξὶν*
*Ζεὺς θῆκεν καὶ ἔδωκε κατακτάμεν ἥν κ' ἐθέλησθα,*

et cum ab Ambraciotis Dianae agroterae leaena sacrata est[4]? hinc aetate Caesarum etiam Cerbero cani tricipiti caput leonis tribuerunt[5]: olim orien-

---

1) uidit Hauniae meque certiorem fecit F. v. Duhn, cf. C. Engelhardt, *das museum für nord. alterthümer in Copenhagen* (1872) p. 38 sq.

2) uelut Capuae cf. H. W. Schultz, *denkmäler der kunst des mittelalters in Unteritalien* tab. LXIII n. XIV, (leo nudo homini incubans) LXI n. VIII; Turici cf. F. Keller, *mittheilungen der antiqu. gesellsch. in Zürich* 1, 21; Vormatiae cf. Piper, *mythol. der christl. kunst* 1, 407. alia H. Hettnerus memorat in Lützowii *zeitschr. für bildende kunst* uol. VIII p. 311 sq., qui ib. p. 313 de rationibus eiusmodi ornamentorum recte iudicat. Permemorabile hoc, quod etiam uetus leonis et cerui symplegma Itali christiani iterarunt, cf. Schultz l. s. t. XX n. VII.

3) cf. de hac pictura Iac. Burckhardt, *Cicerone* p. 772 sq. ed. II F. Kugler, *gesch. d. malerei* I p. 335 ed. II.

4) cuius rei aetion Nicander ap. Antoninum Liberalem c. 4 narrat, dis tribus, Apolline Diana Hercule, de Ambracia certantibus, sua iura Dianam sic defendisse, *ὅτε Φάλαικος ἐτυράννευε τῆς πόλεως, οὐδενὸς αὐτὸν δυναμένου κατὰ δέος ἀνελεῖν αὐτὴ κυνηγετοῦντι τῷ Φαλαίκῳ προφῆναι σκύμνον λέοντος, ἀναλαβόντος δὲ εἰς τὰς χεῖρας ἐκδραμεῖν ἐκ τῆς ὕλης τὴν μητέρα καὶ προσπεσοῦσαν ἀναρρῆξαι τὰ στέρνα τοῦ Φαλαίκου, τοὺς δ' Ἀμβρακιώτας ἐκφυγόντας τὴν δουλείαν Ἄρτεμιν ἡγεμόνην ἱλάσασθαι, καὶ ποιησαμένους Ἀγροτέρης εἴκασμα παραστήσασθαι χάλκεον αὐτῷ θῆρα.* Aliud est sed idem ex oriente tractum, cum leaena Veneris sacra habetur, de qua re acute nuper R. Iacobi in Fleckeiseni annali 1873 p. 366 sq. disseruit: hoc tamen, quod Laidis sepulcro leaena arietem unguibus tenens imposita fuit, apparet ab illo non recte explicatum sed in eorum numero habendum esse, de quibus p. 16 dixi.

5) factum hoc in sarcophago C. Iuni Euhodi (*mus. Chiaramonti* n. 179, edidit E. Gerhard *ant. bildw.* t. XXVIII). itemque statuae Plutonis in uilla borghesiana asseruatae Cerberus adsidet,

talia secuti exempla infestissimos daemonas corporibus leonum instruxerant, ueluti Chimaeram daemonem hibernum, cuius portentosior figura mero etymologiae popularis ludibrio nata est: quam qui occidit Bellerophontes etiam Leontophontes est dictus[1]. mitto fabulas tritas, herculeas cyrenaeam[2] alias.

Sed Orcus siue immanis eius fera quominus animas defunctorum omnes auferat, deus caelestis ac salutifer impedit. quod non dubium est, quin Herculis munus esse Phoenices ueteres putauerint: quando quidem ipsi Graeci Herculem cum Morte luctatum et ex Orco bestiam infernam ad superos deduxisse crediderunt. iam uero Xanthi in Lydia antiquissimum inuentum est monumentum sepulcrale, in cuius latere occidentali iuuenis nudus cum leone colluctans manu rudiuscula insculptus est[3]. Herculem rectene an secus illum deum dicamus, non liquet. sed grauissimum duco, quod in ea terra, in qua Assyriorum Phoenicumque exempla tantum ualuisse uidimus, leonem a deo perdomitum inter ornamenta sepulcri antiqui deprehendimus. Sidonius ille Antipatri amicus sane non ipsum deum, sed genium siue angelum Herculis loco posuit. neque tamen in ea re deseruisse patrias opiniones putandus est. quo enim plus maiestatis numini tribuitur, eo minus rebus quotidianis intercedere existimatur, sed quotiens preces humanas exaudierit, minora mittere numina quae ipsius uice fungantur. in quo censu et apud nostrae familiae populos et apud Semitas praesertim di manes, patrum piorum et bene meritorum animae beatae et inter caelestes receptae, habebantur. Heroum igitur et geniorum maturo tempore credebatur esse, olim quod dei ipsius fuerat, ut animarum salutem tutarentur. Iam persenties, quam egregie

---

cuius, ut ego testis sum, caput et ceruix leonis sunt, ex utraque umeri parte minora duo capita canina una cum singulis serpentibus oriuntur (ed. Ant. Nibby, *mon. scelti della villa Borghese* tab. 39, qui tamen p. 129 de capite leonino tacet).

1) cf. schol. *L V* Iliad. *Z* 155 p. $183^b$ 42. nihil nisi neglegentiorem artificem testatur, quod in tessera plumbea Chimaerae unum tantum caput leonis affingitur (edidit R. Garrucci, *i piombi antichi* tab. II 15).

2) testimoniis notis accessit epigramma cyrenaeum *Κυρήνην λεοντοφόνον* a Carpo quodam dedicatam memorans, cf. Smith et Porcher, *history of the recent discoveries at Cyrene* n. 19 p. 114.

3) edidit Fellows, *a journal written during an excursion in Asia minor* (Lond. 1839) p. 226 et *an account* cett. tab. paginae 176 adiecta, accuratissime Prachow l. s. t. I, 1.

rationes huius epigrammatis illustrentur tractatus magici a Partheyo editi uerbis. ibi enim postquam, qua quis arte genium caelestem sibi astringere posset, expositum est, inter alia eius officia hoc quoque memoratur, genium defuncti cadauer rite sepulturum eiusque animam sursum ad caelum secum ducturum, necenim fieri posse, ut anima socio tam ualenti commendata deorsum in orcum abripiatur[1].

Sed haec antequam pertexam, breuiter monendum est de sacra naui, unde descendisse dicitur qui Antipatro opitulans leonem reppulit. diuinam eam esse iam nemo non sentiet: quonam usu fuerit, forsitan ambigat. nimirum cum ex plurimarum gentium opinione mors nauigatio quaedam sit, Graecos quoque uetustiores certum est non tam charonteam illam per flumen infernum nauigationem credidisse quam iter per Oceanum, deorum fluuium, ad sedes beatas optimo cuique faciendum. cui rei cum fabulae complures, phaeacia argonautica, herculea de Erythea insula per Oceanum petita, aliae documento sint, tum idem credi numquam desiisse fidem anaglypha sepulcralia non pauca faciunt, in quibus uideas hominem maerentem in saxo sedentem paratamque nauim, quae ex uita eum trans Oceanum ferat. saxum illic non temere indicatur; est enim id, unde uitam beatam petituri in Oceanum se deiciunt, leucadium uulgo dixere. longe aliter de his anaglyphis scio uiros doctissimos[2] iudicare: quibus si non persuasero, nec mirabor nec grauabor, suam enim res grauissima sibi postulat disputationem. nunc unum addo, in anaglypho, quod adumbratum inter instituti archaeologici nostri apparatum uidi et mox editum iri spero, cum notissima cenae, quam sepulcralem dicere solent, imagine nauem sacram coniungi. igitur ut alias equo, sic illic naui diuus ad patrios lares deuectus est, ut cenam ac sacra oblata acciperet. neque aliter genius Phoenicis illius.

---

1) *abhandl. der berl. akademie* 1865 p. 125 u. 178 *τελευτήσαντός σου τὸ σῶμα περιστελεῖ ὡς πρέπον θεῷ· σοῦ δὲ τὸ πνεῦμα βαστάξας εἰς ἀέρα ἄξει σὺν αὐτῷ· εἰς γὰρ ᾅδην οὐ χωρήσει ἀέριον πνεῦμα συσταθὲν κραταιῷ παρέδρῳ· τούτῳ γὰρ ἅπαντα ὑπόκειται.*

2) nouissimus de eis Michaelis disputauit *archaeol. zeit.* 1872 uol. XXIX p. 142 sqq., qui et singula monumenta accuratissime componit et qui ante ipsum de ea re disputauerint, p. 142, 30 memorat.

De genii pugna restant mihi pauca addenda. neque tamen, quoniam longius est, id nunc demonstrabo, etiam apud occidentales populos pro deo genios substitutos esse: difficillimum enim est, cum utrumque genus alatum soleat esse, Amores illos, in quibus fingendis Graeci posteriores et Itali nimium luserunt, et genios[1] indiciis certis discernere. Sed quod nostra magis interest, operae pretium duco uidere, ecclesia christiana quid de illa re olim statuerit. notum enim est eam ubicumque radices egisset, ex gentium religionibus aliquid coloris traxisse, ut operam non uideatur perditurus esse, qui de superstitione gentili quaerens christianos fontes non neglegat. atque hae quoque de Morte domita opiniones populares cum ipsorum apostolorum animis[2] haererent, fieri non potuit ut extinguerentur. quoniam uero doctrinae christianae haec est summa, a saluatore cruciatu suo ac morte generis humani salutem redemptam esse, credi consentaneum erat eadem opera a saluatore etiam Orci uim profligatam. sed simplici doctrinae ueteres illi non acquieuere: fabularum opus erat blandimentis. sic Christum[3] credebant mortuum ad inferos descendisse ibique Orcum et Satanam ferreis uinculis coher-

1) modo digitum intendo in zophorum, quo olim Aphrodisiade in Caria templum ornabatur: in quo uarias adulescentuli alati uenationes exercent neque desunt leones tum uenabulis tum sagittis oppugnati; edidit Texier l. s. II tab. 158—158ter. Amores illi esse non magis possunt quam in uetusta lamina eburnea uolcenti puer alatus hasta praetensa leonem immanem excipiens (ed. Micali, *storia* t. XLI, 11). Neque monumentum prorsus diuersum reticere possum, urnam cinerariam perusinam (edidit P. Santi Bartoli, *gli antichi sepolcri* tab. 91), unde Etruscorum quoque fabulam illam de Morte oppugnata fuisse mihi uideor recte colligere. ex barathro in putei modum cincto monstrum eminet capite lupino, corpore humano. quod duo uiri armati oppugnant fune insuper circa collum iacto ligatum. adest etiam dea alata gladium dextra tenens. in sinistra barathri parte homo uestimentis inuolutus pronus humi iacet. in dextra parte uir seminudus manu dextra capiti imposita, sinistro brachio terrae inniso accubat quasi animam agens. haec fateor me non intellegere, nisi Orci satellitem a geniis salutiferis in hora mortis oppugnatum repraesentari statuam. nam quod mulieris cineres in ea urna conditae sunt, quam artifex uiri manibus destinauisse uideatur, quis nescit supellectilem sepulcralem a plerisque talem, qualis in artificum tabernis parata prostaret, emi solitam esse?

2) cf. instar omnium Paulus ep. ad Corinthios I 15, 55 *ποῦ σου Θάνατε τὸ νῖκος; ποῦ σου Θάνατε τὸ κέντρον.* quae similitudo proxime accedit ad fabulam Lycurgi, qui *κέντρον* uel *βουπλῆγα* tenens Liberum insectatur. sed nolo nunc haec accuratius explicare.

3) haec in actis Pilati graecis latinisque feruntur, cf. Tischendorfii euangelia apocrypha p. 304 sqq. 377 sqq. 408. 419. 425.

citos in profundum abyssi demersisse. nec deest in ea re leonis memoria. sufficiet Seduli testimonium hymni II 89 *zelum draconis inuidi et os leonis pessimi calcauit unicus dei seseque caelis reddidit,* quem poetam draconem pro Satana, leonem pro Orco dicere intelleges. idemque figmentum in ebore sculpto circiter a. 1400 inter bybliothecae uaticanae antiquitates christianas expressum uidi [1]. Cum tamen Christum semel daemonas infernos domuisse consentaneum esset, uulgus fabularum appetens necessario eo delatum est ut singulis hominibus moribundis angelum dei adesse crederent. hunc Michaelem archangelum, ducem fortissimum, uoluerunt esse. quod praeiuerat Ebraeorum populus. nam quod in epistula Iudae apostoli [2] legimus Michaelem cum diabolo de Moysis corpore altercatum esse, ex uetustiore apparet fabula repetitum esse, quae in libro apocrypho, assumptione Moysis, narrata erat. Iam uide quam firmiter uetustissima figmenta animis humanis inhaereant. ad hunc enim usque diem ecclesia romana et in exequiarum officio et postridie kal. nou. in commemoratione animarum hoc iubet offertorium recitari: *Domine Iesu Christe, rex gloriae, libera animas omnium fidelium defunctorum de poenis inferni et de profundo lacu; libera eas de ore leonis, ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscurum, sed signifer sanctus Michael repraesentet eas in lucem sanctam* [3], *quam olim Abrahae promisisti et semini eius.* num potuit religiosius aut pertinacius leonis prisca maiestas seruari?

---

1) anaglyphon illud eburneum praeter Christi resurrectionem (segm. 1), Christum crucis ligno oneratum (3) et ipsum cruciatum (4—6) hanc in altero segmento repraesentat scaenam: Christus cum cruce ad inferos descendit animas ex Satanae potestate liberaturus. humi conspicitur caput leonis, ex cuius ore sursum patente uir nudus et femina prodire uidentur manibus supplicibus Christum precantes.

2) u. 9 *ὅτε Μιχαὴλ ὁ ἀρχάγγελος τότε τῷ διαβόλῳ διακρινόμενος διελέγετο περὶ τοῦ Μωυσέως σώματος* —. de assumptione Moysis testimonia uid. ap. Fritzschium libr. apocr. V. T. p. XXXIV sq. cuius libri cum partem non paruam Cerianius bybliothecae ambrosianae praefectus doctissimus indagauerit et ediderit, illum ipsum locum in schedis reciperatis non legi ualde dolemus, sed damnum conpensant quae ex scholiis illius epistulae Hilgenfeldius conposuit Messiae Iud. p. 460.

3) egregie haec illustrantur pictura quadam, qua saec. XV Rhodi crypta prope ecclesiam Philermi ornata est: cauernam uides ossibus et caluariis satis significatam tamquam Orci introitum; ibi draconem excubantem Michael depugnat. draco ut Satanae animal praestare pictori uisus est. uid. Rottiers, *descr. des monumens de Rhodes* (Brux. 1828) tab. LXI cf. p. 369 sqq.

Ad finem peruenimus. Vt igitur summam disputationis colligamus, uidimus ex remota antiquitate imaginem cerui uel bouis a leone oppressi ad Phoenices, hinc ad Graecos Etruscosque propagatam etiam sepulcris ornandis adhibitam esse et cum Hercule leonis domitore a Phoenicibus coniunctam eo ualuisse, ut Orcum tamquam leonem animis defunctorum insidiantem, Herculem opem fortiter illis ferentem significaret. in Iliadis autem loco explorauimus primitus hoc narratum fuisse, Vlixi saucio a Troianis undique cincto ipsum Hadem tamquam leonem imminuisse, Aiacem aduocatum uulnerasse deum et reppulisse. Is igitur qui illud carmen panxit poeta non solum imaginem peruulgatam nouit, sed etiam quid ea significaret, probe intellexit, cum reliqui Graeci eandem tamquam merum ornamentum ducerent neque quid subesset curarent. quam ob caussam necessario ciuitatem illi eam assignabimus, in quam propter commercium religiones Phoenicum et opiniones potuerint se insinuare. atqui cerui a leone lacerati figmentum nusquam in Graecia signum sacrum fuit quali nummi notarentur, nisi Veliae in Phocaeensium colonia. Veri simillimam igitur, ne dicam certam esse censeo coniecturam, Iliadis carmen illud libri XI aliis quoque artis phoeniciae indiciis satis conspicuum Phocaeae ortum esse, in qua urbe olim commercia et artes pariter atque poesim homericam floruisse inter omnes constat.

---

Relinquitur officium longe suauissimum, ut celeberrimae uestrae uniuersitati tertium saeculum conditurae, quartum auspiciis felicissimis inauguraturae uota pia ac sincera nuncupem ab huius uniuersitatis rhenanae cum rectore et senatu tum omnibus membris concepta. me uero quod animi sui interpretem esse rector senatusque iusserunt, fateor non potuisse quidquam mihi exoptatius accidere. quis enim est philologus aut grammaticus, quin audito isto nuntio longum summatium uirorum inde a Iusto Lipsio et Iosepho Iusto Scaligero ordinem recordatus gratissimo animo secum repetat, quantum litte-

rarum antiquarum studia uniuersitati uestrae debeant? quae simul atque condita est, grammaticam et philologiam nouis luminibus conlustrauit totiusque Europae magistra fuit neque ad hunc usque diem umquam ueteris gloriae oblita est. sic igitur DEVS O · M · faxit, ut cum ceteris artibus tum antiquitatis studiis eo quod instat saeculo et futuris uestra disciplina incolumi uigore facem praeferat.

DATVM · BONNA · A · D · III · KAL · FEBR · A · CIƆIƆCCCLXXV

# APPENDIX

## DE NVMMIS IN TABVLA ADIECTA ADVMBRATIS

Tabula nummaria a C. L. Beckero Berolinensi artifice manu adornata ut conficeretur, maxime Friderici v. Duhn nostri studio factum scito, qui rem meam tamquam suam egit. in quo illi negotio doctissimorum uirorum qui thesauro nummario berolinensi nunc praesunt, I. Friedlaenderi et Alfredi v. Sallet et consilium peritum et officiosa comitas praesto fuerunt. his igitur uiris neque minus Imhoofio Blumero amico qui et olim et nuper me benignissime adiuuit, maximas ex animo gratias ago. De singulis autem nummis haec teneto

1 nummus est Citii in Cypro cusus *A*R(genteus) pondere gr. 3, 55; posticae adscribitur *l^ebaalmelek*. Ex collectione comitis de Vogüé, delineatus secundum fidem tabulae ab eodem propositae *rev. numism.* 1867 XI n. 4, cf. id. p. 368. Vide supra p. 21. 26 sqq.

2 in Cilicia sub regulo Same cusus *A*R gr. 10, 70. in ant. *baal-tarz*, in post. *mazdi* (de quo uoc. cf. Brandis l. s. p. 350), *sam* adscribitur. ex collectione ducis de Luynes. del. sec. de Luynes, *num. des satrapies* tab. IV, *Gaos* n. 1, cf. p. 31. V. s. p. 21 sq.

3 Tarsi in Cilicia *A*R gr. 10, 90. in postica quam solam exhibeo *mazdi* et littera *ain* legitur: in antica non integra Belus sinistrorsum adsidet seminudus, sinistra sceptrum, dextra spicam [et racemum] tenens, adscribitur [*ba*]*al-tarz*. ex eadem collectione. d. sec. eundem t. VIII 4 cf. p. 55. V. s. p. 22.

4 Gaziurae in Ponto *A*R gr. 4, 95. in postica quam solam uides expressam *ariorat* legas: in ant. Belus adsidet sinistrorsum seminudus, sinistra sceptrum, dextra spicam et racemum tenens; aquila dextrae insidere uidetur; adscribitur non satis distincte [*baa*]*l-gazor*. ex eadem collectione. del. sec. eundem t. V 3 cf. p. 36. V. s. p. 23, 2.

5 incerta origine AR gr. 3, 67. in postica quam uides legitur littera phoen. ***beth***: in ant. caput muliebre laureatum, inauri et monili baccato ornatum, dextram spectans. ex eadem collectione. del. sec. eundem t. VI *Bog.* 3 cf. p. 40. V. s. p. 23.


6 incerta origine, quem phoenicium esse contextae in monogramma ***beth*** et fortasse ***aleph*** litterae euincunt, AR. anticam uides: in postica uacca lactans sinistrorsum adstat, infra eam uitulus, in area superiore illud monogramma. unum tantum innotuisse uidetur exemplar thesauri parisiensis, quod certatim ediderunt Mionnet ***recueil des planches*** tab. LVI 6 (cf. p. 33 *descr.* III p. 670 n. 687) Lajard *culte de Vénus* t. XIV H, 9 Raoul-Rochette ***archéol. comp.*** t. II 1 de Luynes *satr.* V *Bog.* 1 (cf. p. 40). mihi quoque delineatus est ad eiusdem ectypon sulpureum quod in thesauro berolinensi asseruatur. V. s. p. 27.

7 lydius AV(reus) gr. 8, 05. anticam uides, in post. quadratum bipertitum rudiuscule incusum. ex thesauro berolinensi, sec. I. Friedlaenderi et A. v. Salleti catalogum (Berol. 1873) t. IX n. 585 cf. p. 163. V. s. p. 25.

8 Veliae in Italia AR gr. 7, 75. secundum ectypon exempli nitidissimi quod Imhoof Blumer possidet a coniuge Michaelis Amari senatoris italici acceptum. V. s. p. 25.

9 Acanthi in Macedonia AR. anticam proposui; in post. quadratum quadripertitum, **AKANΘΙΟΝ**. ex exemplo thesauri parisiensis edidit Mionnet ***recueil*** t. XLVIII 3 cf. p. 23 sq. ***descr.*** I p. 461 n. 93, ad eiusdem ectypon sulpureum in thes. berol. repositum hic quoque adumbratur. V. s. p. 23 sq.

10 ibidem AR gr. 16, 86. anticam uides, in post. quadratum incusum quadripertitum. expressus ex ectypo sulpureo exempli parisiensis (Mionnet *descr.* I p. 460 n. 82 ***recueil*** tab. XLV 6 cf. C. O. Mueller *denkm. der alten kunst* I t. XVII 87) Berolini asseruato. V. s. p. 24.


1.
AR.
2
AR
3.
AR
4.
AR
5.
AR.
7.
AV.
8.
AR
6.
AR.
9.
AR.
10.
AR